AUTHOR:

FEYERABEND, EDUARD

TITLE:

DE VERBIS PLAVTINIS...

PLACE:

MARPVRGI CATTORVM

DATE:

1910

Master Negative #

92-80620-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books        FUL/BIB   NYCG92-B35088          Acquisitions     NYCG-PT
FIN PN FEYERABEND AND TW VERBIS - Cluster 2 of 2 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B35088             RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:      AD:05-21-92
  CC:9624  BLT:am      DCF:    CSC:d    MOD:    SNR:     ATC:        UD:05-21-92
  CP:gw     L:lat      INT:    GPC:     BIO:d   FIC:0    CON:
  PC:s      PD:1910/           REP:     CPI:0   FSI:0    ILC:        II:0
  MMD:      OR:    POL:    DM:     RR:         COL:     EML:      GEN:   BSE:
  040       NNC‡cNNC
  100 1     Feyerabend, Eduard,‡d1884-
  245 10    De verbis Plavtinis personarvm motvm in scaena experimentibvs‡h[microf
            orm].
  260       Marpvrgum Cattorvm,‡bKoch,‡c1910.
  300       105 p.‡c22 cm.
  500       Vita.
  502       Inaug.-diss. - Marburg.
  600 10    Plautus, Titus Maccius.
  650  0    Latin language‡xVerb.
  LDG       RLIN
  QD        05-21-92
```

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB


DATE FILMED: 4-12-93 INITIALS JAMES

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT














DE VERBIS PLAVTINIS PERSONARVM MOTVM IN SCAENA EXPRIMENTIBVS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILO-SOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS FEYERABEND
HERSFELDENSIS, BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH
MCMX

DE VERBIS PLAVTINIS PERSONARVM MOTVM IN SCAENA EXPRIMENTIBVS

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

EDVARDVS FEYERABEND
HERSFELDENSIS, BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM
TYPIS ACADEMICIS IOH. AVG. KOCH
MCMX

Dissertatio inauguralis referente Theodoro Birt ab amplissimo philosophorum ordine probata est a. d. X. Kal. Aug. MCMIX.

PARENTIBVS CARISSIMIS

Multum interest inter theatrum et actiones scaenicas nostrae aetatis et temporum antiquorum. Nam nunc maiore ex parte homines eruditiores et litteris dediti in theatro delectationem sibi requirunt, olim vero universus populus actionibus scaenicis intererat. Quae cum ita essent poetae antiquae aetatis ad disciplinae defectum quo utebantur spectatores magis respicere debebant, praesertim cum illis temporibus spectatores plurima parte facultatem non haberent, ut antequam fabulam quandam spectarent libros qui eam continebant legendos sibi emerent. Titulum fabulae agendae ante actionem ipsam non pronuntiatum esse demonstravit Leo, Plautinische Forschungen p. 222. In prologo demum titulum fabulae nomenque poetae cognoverunt spectatores (Fr. Ritschelius, parerga p. 383, Leo l. c.).

Id proprium est fabulae Euripideae, ut nomina personarum quae in scaenam prodeunt antea ab alia persona quae iam in scaena est pronuntientur (cf. Wilamowitz. analecta Euripidea pag. 199 ‚persaepe etiam cum iterum procedit persona nominatur, sed numquam iterum procedens se ipse quisquam nominat. Quae leges tam constanti usu usurpantur, ut singulare videatur, quod apud ceteros tragicos vulgare est, siquando persona non ipso nomine aut non ipso primo versu nominatur'). Tales pronuntiationes in comoedia graeca *νεωτέρᾳ* quoque fuisse fragmenta illa fabularum Menandri quae nuper in lucem protracta sunt nos docent. Similiter Plautus siqua nova persona in scaenam inducitur antea aliam personam nomen illius pro-

Multum interest inter theatrum et actiones scaenicas nostrae aetatis et temporum antiquorum. Nam nunc maiore ex parte homines eruditiores et litteris dediti in theatro delectationem sibi requirunt, olim vero universus populus actionibus scaenicis intererat. Quae cum ita essent poetae antiquae aetatis ad disciplinae defectum quo utebantur spectatores magis respicere debebant, praesertim cum illis temporibus spectatores plurima parte facultatem non haberent, ut antequam fabulam quandam spectarent libros qui eam continebant legendos sibi emerent. Titulum fabulae agendae ante actionem ipsam non pronuntiatum esse demonstravit Leo, Plautinische Forschungen p. 222. In prologo demum titulum fabulae nomenque poetae cognoverunt spectatores (Fr. Ritschelius, parerga p. 383, Leo l. c.).

Id proprium est fabulae Euripideae, ut nomina personarum quae in scaenam prodeunt antea ab alia persona quae iam in scaena est pronuntientur (cf. Wilamowitz. analecta Euripidea pag. 199 ‚persaepe etiam cum iterum procedit persona nominatur, sed numquam iterum procedens se ipse quisquam nominat. Quae leges tam constanti usu usurpantur, ut singulare videatur, quod apud ceteros tragicos vulgare est, siquando persona non ipso nomine aut non ipso primo versu nominatur'). Tales pronuntiationes in comoedia graeca νεωτέρᾳ quoque fuisse fragmenta illa fabularum Menandri quae nuper in lucem protracta sunt nos docent. Similiter Plautus siqua nova persona in scaenam inducitur antea aliam personam nomen illius pro-

ferentem facit, unde illa veniat dicit. Item personae quae scaenam relinquunt plerumque quo abeant nuntiant. Talibus significationibus poetam animo et sensu spectatorum subvenire atque cognitionem fabularum faciliorem reddere voluisse ipsa frequentia talium locorum declaratur. Nobis vero illae locum ‚adnotationum scaenicarum' quae dicuntur explent, quae omnino in omnibus libris qui fabulas tradunt desiderantur.

In dissertatione quae sequitur de nonnullorum verborum quae motum indicant usu Plautino agetur. Et primum quidem ei loci afferentur quibus persona quaedam quae in scaenam prodit antea ab alia persona quae iam in scaena est pronuntiatur. Tum reliqui loci perlustrabuntur quibus illa verba motum quendam vel in scaena vel alio loco actum significant. Denique de verborum usu translato agetur.

Secernam ea exempla in quibus verbum absolute usurpatum est ab eis in quibus directio eundi indicatur.

Priusquam vero ad rem ipsam accedimus duae quaestiones grammaticae tractabuntur.

Numeros affero editionis minoris a Goetzio, Schoellio, Loewio curatae, numeri uncis circumclusi ad editionem Leonis spectant.

Adnotatio grammatica.

1. De verbi eundi eiusque compositorum formis contractis personae primae atque tertiae temporis perfecti.

De his formis olim egit Fleckeisenus, ann. phil. LXI pag. 23. Qui cum antea in exercitationibus Plautinis decem formas contractas comprobaverat l. c. in illis decem versibus formas non contractas restituit, quod ut fieri posset textum mutabat, aliis locis formas illas contractas praesentia esse disputabat.

Fleckeisenus de eis tantum locis egit quibus codices formam contractam tradunt, at etiam aliis locis hanc formam restituendam esse demonstrabo. Qua in quaestione librorum auctoritas parva esse debet, metro tantum duce hanc rem discernere possumus.

Priusquam Plauti ipsius exempla afferam in nonnullis aliorum poetarum saec. II. et I. a. Chr. n. versibus illas formas contractas re vera extitisse illustrabo:

Ter. Adelph. 782: *An tibi iam mavis cerebrum dispergam hic?* || *abit.* Eun. 522: *Ecquis cum ea una; quid habuisset, quom perit.* Phormio 55: *Praesertim ut nunc sunt mores: adeo res redit.* Hec. 347: *Hem, istoc verbo animus mihi redit et cura ex corde excessit.* Lucret. III, 1042: *Ipse Epicurus obit decurso lumine vitae.*

Lachmannus, cum Lucretius hoc uno loco formam contractam ante consonantem usurpaverit, formam non contractam restituere conatus est, quae tamen metro repugnat.

Lucr. IV, 314: ater init oculos prior et possedit apertos. IV, 771: quippe, ubi prima perit alioquest altera nata inde statu.

Iam ad Plauti exempla transeamus. Ac primum quidem ea exempla congeram, in quibus illae formae certos pedes versus explent atque ea de causa discerni potest quaenam forma restituenda sit.

Forma explet quartum pedem sen. iamb.:

Aul. 102: *Nam ad aedis nostras numquam adit quaquam prope* (*adiit* libri). Merc. 705: *Perii hercle: rure iam redit uxor mea* (*rediit* libri).

De iambico senario egit O. Brugmann, Quemadmodum in iambico senario . . . diss. Bonn. 1874. Qua in dissertatione demonstravit Brugmannus in quarto pede iamb. sen. vocem anapaesticam suspectam esse, hoc autem loco non raro extare vocem iambicam. Itaque duobus locis allatis formae contractae restituendae sunt, quae pedem iambicum efficiunt.

Forma extat in quarto pede iamb. tetr. catal.:

Asin. 395: *Conveni. Sed post non redit.* || *Non edepol. quid volebas?* (*rediit* libri). Rud. 325: *Data verba ero sunt: leno abit scelestus exulatum. In navem ascendit, mulieres avexit.*

In quarto pede iamb. tetr. catal. neque anapaestum neque spondeum ferendum esse iam Bentleius iudicaverat (Hermann. elem. doctr. metr. 151).

Uno loco perfectum extat in ultimo pede iamb. octon.:

Bacch. 950: *Dolis ego deprensus sum: ille mendicans paene inventus interit* (*interiit* libri).

Cum ultimo pede anapaestus esse non possit *interiit* falsum est. Ritschelius *interit* praesens esse vult quod falsum esse puto, nam loco laudato de Ulixis rebus gestis agitur, quae in Iliade carmine narrantur.

Semel perfectum in fine iamb. sen. positum est:

Capt. 690: *Qui per virtutem, periit at non interit.* (*perit at* Noni 422, Lugd.[1], Harl.[1] *peritat* BVE, *perit aut* Noni rell.).

periit contra librorum auctoritatem scribendum est. Itaque etiam *interit* quod metro flagitatur perfectum est. — Leo contulit cum hoc loco Cornif. ad Her. IV, 57: *amisit vitam at non perdidit.*

Iam sequuntur ea exempla in quibus perfectum non certos pedes versus explet sed alia de causa metrum formam contractam flagitat:

Mil. 251: *Non domist: abit ambulatum: dormit: ornatur, lavat* (*abit* A).

Pes secundus est dactylicus: *mīst ăbĭt, īt* correptum est. *abit* hoc loco quamvis cum praesentibus (*est*, *dormit*, *ornatur*, *lavat* etc.) coniunctum perfectum est. Causae enim enumerantur quae fingantur si miles ambas puellas videre velit. *non domi est* (scil. puella altera) *abit ambulatum*, id est: profecta est, ut ambularet, praesens autem significabit: proficiscitur, ut ambulet, domi ergo etiam est. *abit* = ⏑⏑.

Trin. 717: *Ábit hercle ille quidem, ecquid audis, Lysiteles? ego te volo* (*abiit* libri, *hercle* del. Fleckeis., *quidem* del. Brixius).

Prima thesis soluta est. *abit* = ⏑⏑, ut supra.

Truc. 210: *Hahaháe, requievi quía intro abit odium meum.* (*abiit* A, *avit* B, *ivit* CD).

Thesis quarta dissoluta est, *abit* ut supra = ⏑⏑.

Most. 1155: *Ís adit me: nam illum prodire pudet in conspectum tuom* (*adiit* libri).

Pes primus est *Ĭs ădīt*, sed *ĭs ădiīt* stare non potest.

Cist. 700ª: *exit hic concilium fuit* (*exiit* libri).

V. est anapaesticus dimeter. *ēxĭīt* in primo pede locum habere non potest.

Mil. 376: *Unde exit haec?* || *Unde nisi domo?* || *Domo?* || *Me viden?* || *Te video* (*exit* libri recte).

Fleckeis. (l. c.) textum mutat, ut *exiit* scribere possit. *exit* perfectum esse ex versibus qui v. 376 sequuntur effici potest (cf. v. 377 *transiri potuit*, 379 *vidi*).

Mil. 416: *Haec mulier quae hinc exit modo estne erilis concubina* (*exit* libri recte).

Hoc quoque loco *exit* perfectum est, *modo* enim est idem quod *brevi ante*, ad tempus praeteritum ergo spectat. Quod facile intellegitur e Merc. 895: Non video hercle nunc, sed vidi modo. Persona de qua loco laudato agitur iam in fine scaenae praecedentis exierat.

Pseud. 730: *Qui á patre advenít Carysto nécdum exit ex aédibus quoquam* (*exit aedibus* A, *exiit ex aedibus* P).

exit tantum metro oboedit. *exit* autem perfectum esse ex versu insequente effici potest: *neque Athenas advēnit umquam.*

Bacch. 1115: *Ís perit cúm tuo: ambo aéque amicas habent* (*periit* libri).

Versus est creticus tetrameter. Perfectum significat: er ist verloren, sed etiam praesens non ineptum sensum efficit: er liebt (*perire* = lieben semper praesens est).

Asin. 742: *Illac per hortum circumit clam ne quis se videret* (*circum it* DE, *circumit* B).

Fleckeisenus *transiit*, quod quidem verbum non raro coniungitur cum *per hortum*. *circumire* alibi elisionem patitur, sed infra ubi de *circumire* locuturus sum tres locos afferam quibus verbum sine elisione legitur.

Pseud. 910: *Tum pól ego interi homo si ílle abit: neque hoc ópus quod volui hodie éfficiam* (*interi* A).

Horum anapaestorum pes secundus non esse poterat talis: *go īntĕrĭi hŏ*|.

Itaque septendecim locos inveni quibus formam contractam solam res metrica admittit.

Aliis locis quibus et forma contracta et non contracta metro oboedit libri manuscripti formam contractam praebent. Quos tamen hic afferre nolo.

2. Paucissima de verbi eundi compositorumque temporibus in universum adnotanda sunt.

Indicativi Plusquamperfecti nullam omnino certam formam inveni. Nam id quod libri tradunt

Amph. 401: *Qui cum Amphitruone hinc una ieram in exercitum*

versum non efficit. Praeterea hic v. ad sensum versuum antecedentium non quadrat. Itaque Fleckeisenum recte uncis circumclusisse puto (cf. v. 125). — Terenti fabulae ter ind. plusqpf. praebent:

Adelph. 27: *ierant*, Eun. 633: *abieram*, Phormio 423: *praeterierat*.

Coniunctivi plusquamp. octo inveni exempla, scilicet horum compositorum: *perire* (3) *exire* (2) *redire* (2) *abire* (1).

His absolutis ad propositum ipsum accedam et primum quidem disputabo de verbo simplici

ire.

Hoc verbum **ad personam** quae in scaenam prodit **antea pronuntiandam** usurpatur:

a) absolute:

Cas. 213: *Quis est quem vides?* || *Vir eccum it.* Epid. 394: *Sed meus sodalis it cum praeda.* sic libri. *sed huc meus* Goetzius ed. mai. Librorum lectio nihil offensionis habet. Trin. 622: *Sed generum nostrum ire eccillum video cum adfini suo.*

Omnibus his in exemplis personae non e domo sed ex urbe veniunt.

b) Si vero persona e domo egreditur, additur *foras:*

Merc. 271: *eccum it vicinus foras.* sic A, rell. *vicinum eccum exit foras.* Merc. 561: *atque eccum it foras.* Mil. 271: *Nam illic est Philocomasio custos meus conservos qui it foras.* sic Acid. cum A; *conservus* et post vacuum spatium satis magnum *atque it* B. *conservus atque it* CZ, *conservus atqui it* F.

Adverbium *foras* omnibus locis sequitur verbum, nullo loco verbo antecedit. Atque semper *foras* locum habet in ultimo pede versus.

Verbum eundi sic usurpatum de personis quae in scaenam prodeunt significat kommen. cf. Donat. ad Ter. Eun. v. 305: ‚*unde is*' *modo* ‚*ad quid venis*' *significat.* — ‚*quorsum eam*' || *hinc ut diximus, manifestum est* ‚*ire*' *et adventum significare.* ad Adelph. 361: ‚*ire*' *et abire et venire significat.*

Satis raro de persona in scaenam veniente (scilicet ad pronuntiationem personae) verbum eundi adhibetur si conferas quam saepe illud verbum in universum de motu, vel in scaena vel alio loco acto, usurpatur, quo de usu nunc agendum est.

Ac primum quidem eos locos afferam quibus verbum eundi similiter atque eis locis quos supra enumeravi non *abire* significat, sed **‚venire'**, scilicet: **in scaenam**:

a) absolute:

Merc. 741: *Agite, ite actutum.*

Haec verba in initio scaenae extant, coquus ex urbe veniens ad Lysimachum iturus est atque servos se sequi iubet. Concedendum vero est ita quoque actam esse rem cogitari posse, ut coquus servos propellat atque in domum ire iubeat, ut *ire* significet: gehen.

b) directio eundi indicatur:

Quattuor locis quaeritur: *unde:*

unde is?: Most. 785 (solus habet A), Most. 547, Stich. 319. — Rud. 264 [265]: *sed unde vos ire cum uvida veste dicam?*

Cum aliis significationibus loci coniunctum est verbum:

Rud. 266: *Ilico hinc imus haud longule ex hoc loco.* Persona quae loquitur manu ostendit unde venerit dicens *hinc*. Leo, mus. Rhen. 38, p. 21 *hinc* cum *ilico* coniungit, sed cf. Persa 217: *Eo ego hinc haud longe.* — Bacch. 107: *turbare qui huc it.* Hic versus spurius inventus esse ad coniungendas scaenas non coniunctas putandus est (Leo, ed. I, p. 134). Sed is qui hunc v. addidit id non curavit, quod persona ad quam haec verba referenda essent paulo demum ante opsonatum abierit (post v. 100) neque inde iam rediisse potuerit. Quae cum ita sint recte Ritschelium op. II, 356 sq. contendisse puto post v. 108 actus finem statuendum esse quod eo quoque commendatur quod post illum v. nulla persona in scaena remanet.

De exeunte e domo additur *foras:*

Cas. 210/11, Persa 758[a], Poen. 203, Stich. 683 (in initio scaenae).

Uno loco *istinc* tantum additur, istinc i. e. e domo:

Capt. 685: *ite istinc, ecferte lora.*

Praeter *foras* additur *istinc:*

Poen. 1319: *ite istinc, serví, foras* sic libri, Muellerus, prosod. Plaut. p. 364 transposuit *ite servi istínc foras.* Rud. 656: *ite istínc foras.* Poen. 796: *Age tu progredere, ut [testes] videant te ire istínc foras* (*testes* libri, del. Bentleius).

Muelleri transpositionem Poen. 1319 falsam esse putaveris si reliqua exempla conferas in quibus scilicet *istinc* numquam ab *ite* dividitur.

Omnibus in exemplis adverbium *foras* sequitur verbum eundi. — Uno loco excepto, Poen. 796, in eis exemplis quae habent *foras* occurrit imperativus, nam persona quaedam quae in scaena est aliam personam progredi iubet. Stich. 683 persona quae loquitur ipsa in scaenam venit atque alias personas se sequi iubet (cf. supra ad Merc. 741, pag. 12).

Omnibus quos adhuc attuli locis *ire* significat *venire in scaenam.* De eis exemplis nunc agendum est quibus verbum eundi referendum est ad **motum in scaena ipsa,** scilicet personae quae eunt iam in scaena sunt vel non abeunt a scaena. Primum ea exempla afferam in quibus *ire* significat *kommen:*

a) absolute:

Bacch. 1166: *Eunt eccas tandem.* Bacchides de quibus loquitur Nicobulus a scaena non abierant, quod effici potest e v. 1154: *Quid illaec illic in consilio duae secreto consultant?* Poen. 364: *I, soror.*

b) locus vel persona indicatur:

Capt. 534: *eunt ad te hostes, Tyndare.* Secum ipse loquitur Tyndarus, qui ab eis quos dicit *hostes* quaeritur. Most. 566: *sed occupabo adire.* || *Hic ad me it.* Men. 486: *Adibo ad hominem.* 487: *Quis hic est qui adversus it mihi?* (*adversum sit* libri, corr. Grut. et Both.) Stich. 237: *Adibo ad hominem.* || *Quis haec est quae advorsum it mihi?* (sic P, *mihi advorsum venit* A). Truc. 502: *Vin adeam ad hominem?* 503: *Euge Astaphium eccam it mihi advorsum?* Amph. 263: *Attat, illic huc iturust.* Pseud. 453: *itur ad te, Pseudole* (*ad te* A, *adie* P). *itur* intellegendum est: hostiliter. cf. Capt. 534.

His locis persona quae loquitur aliam personam vel alias personas quae in scaena sunt ad se adire animadvertit, omnibus locis invenitur tertia persona. Adnotandum est verbum eundi coniunctum cum *advorsum* vel *advorsus* eis quos attuli locis non significare ‚abholen' sed ‚auf jemand zukommen', neque vero dictum est de servis advorsitoribus qui dicuntur. — Men. 487 Grut. et Both. scripserunt *adversus it*, saepius invenitur *adversum*, quod tamen metri causa hoc loco stare non potest.

Nunc ea afferam exempla in quibus *ire* significat *gehen* scilicet in scaena:

a) absolute:

Most. 774: *Eon, voco huc hominem?* Maiorem partem exemplorum obtinet futurum quod absolute usurpatum est: Merc. 336, Amph. 1075, Aul. 817, Stich. 464, 315. Bacch. 871, Poen. 739 [740], Stich. 308.' — Omnibus locis futurum *ibo* sequitur aliud futurum quod uno loco sine particula adponitur: Merc. 366, reliquis locis futura coniunguntur particula *et* vel *atque*. Persona quaedam ab altera parte scaenae ad alteram partem ire iubetur his locis: Asin. 382, Most. 774 (*i* A, om. P), Persa 605, Pseud. 249.

b) directio eundi indicatur:

Additur *obviam:* Cas. 357: *Quid si propius attolamus signa eamusque obviam?* (e sermone militari). Merc. 598: *ibo obviam.* Mil. 896: *cesso ego illis obviam ire?* Most. 336: *vis me obviam his eire?* Amph. 263: *illic huc iturust: ibo ego illi obviam.* Mil. 1381: *Me quaerit illic. ibo huic puero obviam.* Most. 540: *ibo huic obviam.*

Duobus prioribus locis exceptis persona cui obviam it altera nominatur.

Bis invenitur *advorsum*: Asin. 295 et Men. 775: *ibo advorsum.*

In his exemplis saepius occurrit *obviam* quam *adversum*, cum in eis exemplis in quibus verbum significat ‚kommen' *adversum* tantum invenerimus.

Alio modo directio eundi indicatur:

Bacch. 625: *ibo ad eum.* Men. 808: *⟨Ibo⟩ ad hominem atque adloquar* (add. Cam.). Cist. 698: *Sed is hac iit* (*iit* B², *ut* libri). 700 *neque prorsum iit hac.* 702: *hinc huc iit* (*iit* B², *ut* B¹ *lit* VE).

Iam ad eam verbi eundi significationem venimus quae creberrima est, scilicet significationem weggehen, **a scaena abire.**

Ac primum quidem nonnullos locos afferam quibus persona quae dicit *ego eo, nunc ego eo* similiaque non statim abit sed in scaena remanet. Talibus locis verbum eundi transferri potest *unterwegs sein, im Begriff sein zu gehen.* Eandem significationem habet verbum eundi nonnullis locis quibus invenitur imperfectum quod tempus per se actionem non perfectam significat.

Praesens extat:

Men. 96: *Nam ego ad Menaechmum hunc eo.* 97: *ultro eo, ut me vinciat.* Prologus dum dicit *hunc*, digito domum Menaechmi monstrat. Amph. 347: *Huc eo, eri sum servus* (*huic*: corr. B²). Cas. 790: *Ego eo quo me ipsa misit.* Stich. 247: *Quo nunc is?* || *Ad te.* Most. 880: *Solus nunc eo advorsum ero.* Persa 217: *Eo ego hinc haud longe.*

Uno loco excepto, Stich. 247, ubi est altera pers., invenitur pers. prima, scilicet persona quae loquitur vel respondet alteri vel ipsa non interrogata quo itura sit profert (Men. 96 et 97, Most. 880). His enim duobus locis persona sola in scaena est.

Infinitivus praes. bis ita usurpatur:

Curc. 12: *quo te dicam ego ire?* Capt. 194: *ad fratrem quo ire dixeram mox iero.*

Nunc ea exempla afferam in quibus *imperfectum* idem significat:

Cas. 178: *Nam ego ibam ad te.* || *Et pol ego istuc ad te.* 593: *ad te hercle ibam commodum.* Truc. 921: *At ego ad te ibam.* Merc.

b) locus vel persona indicatur:

Capt. 534: *eunt ad te hostes, Tyndare.* Secum ipse loquitur Tyndarus, qui ab eis quos dicit *hostes* quaeritur. Most. 566: *sed occupabo adire.* || *Hic ad me it.* Men. 486: *Adibo ad hominem.* 487: *Quis hic est qui adversus it mihi?* (*adversum sit* libri, corr. Grut. et Both.) Stich. 237: *Adibo ad hominem.* || *Quis haec est quae advorsum it mihi?* (sic P, *mihi advorsum venit* A). Truc. 502: *Vin adeam ad hominem?* 503: *Euge Astaphium eccam it mihi advorsum?* Amph. 263: *Attat, illic huc iturust.* Pseud. 453: *itur ad te, Pseudole* (*ad te* A, *adie* P). *itur* intellegendum est: hostiliter. cf. Capt. 534.

His locis persona quae loquitur aliam personam vel alias personas quae in scaena sunt ad se adire animadvertit, omnibus locis invenitur tertia persona. Adnotandum est verbum eundi coniunctum cum *advorsum* vel *advorsus* eis quos attuli locis non significare ‚abholen' sed ‚auf jemand zukommen', neque vero dictum est de servis advorsitoribus qui dicuntur. — Men. 487 Grut. et Both. scripserunt *adversus it*, saepius invenitur *adversum*, quod tamen metri causa hoc loco stare non potest.

Nunc ea afferam exempla in quibus *ire* significat *gehen* scilicet in scaena:

a) absolute:

Most. 774: *Eon, voco huc hominem?* Maiorem partem exemplorum obtinet futurum quod absolute usurpatum est: Merc. 336, Amph. 1075, Aul. 817, Stich. 464, 315. Bacch. 871, Poen. 739 [740], Stich. 308. — Omnibus locis futurum *ibo* sequitur aliud futurum quod uno loco sine particula adponitur: Merc. 366, reliquis locis futura coniunguntur particula *et* vel *atque*. Persona quaedam ab altera parte scaenae ad alteram partem ire iubetur his locis: Asin. 382, Most. 774 (*i* A, om. P), Persa 605, Pseud. 249.

b) directio eundi indicatur:

Additur *obviam:* Cas. 357: *Quid si propius attolamus signa eamusque obviam?* (e sermone militari). Merc. 598: *ibo obviam.* Mil. 896: *cesso ego illis obviam ire?* Most. 336: *vis me obviam his eire?* Amph. 263: *illic huc iturust: ibo ego illi obviam.* Mil. 1381: *Me quaerit illic. ibo huic puero obviam.* Most. 540: *ibo huic obviam.*

Duobus prioribus locis exceptis persona cui obviam it altera nominatur.

Bis invenitur *advorsum*: Asin. 295 et Men. 775: *ibo advorsum.*

In his exemplis saepius occurrit *obviam* quam *adversum*, cum in eis exemplis in quibus verbum significat ‚kommen' *adversum* tantum invenerimus.

Alio modo directio eundi indicatur:

Bacch. 625: *ibo ad eum.* Men. 808: ⟨*Ibo*⟩ *ad hominem atque adloquar* (add. Cam.). Cist. 698: *Sed is hac iit* (*iit* B², *ut* libri). 700 *neque prorsum iit hac.* 702: *hinc huc iit* (*iit* B², *ut* B¹ *lit* VE).

Iam ad eam verbi eundi significationem venimus quae creberrima est, scilicet significationem weggehen, **a scaena abire.**

Ac primum quidem nonnullos locos afferam quibus persona quae dicit *ego eo*, *nunc ego eo* similiaque non statim abit sed in scaena remanet. Talibus locis verbum eundi transferri potest *unterwegs sein, im Begriff sein zu gehen.* Eandem significationem habet verbum eundi nonnullis locis quibus invenitur imperfectum quod tempus per se actionem non perfectam significat.

Praesens extat:

Men. 96: *Nam ego ad Menaechmum hunc eo.* 97: *ultro eo, ut me vinciat.* Prologus dum dicit *hunc*, digito domum Menaechmi monstrat. Amph. 347: *Huc eo, eri sum servus* (*huic:* corr. B²). Cas. 790: *Ego eo quo me ipsa misit.* Stich. 247: *Quo nunc is?* || *Ad te.* Most. 880: *Solus nunc eo advorsum ero.* Persa 217: *Eo ego hinc haud longe.*

Uno loco excepto, Stich. 247, ubi est altera pers., invenitur pers. prima, scilicet persona quae loquitur vel respondet alteri vel ipsa non interrogata quo itura sit profert (Men. 96 et 97, Most. 880). His enim duobus locis persona sola in scaena est.

Infinitivus praes. bis ita usurpatur:

Curc. 12: *quo te dicam ego ire?* Capt. 194: *ad fratrem quo ire dixeram mox iero.*

Nunc ea exempla afferam in quibus *imperfectum* idem significat:

Cas. 178: *Nam ego ibam ad te.* || *Et pol ego istuc ad te.* 593: *ad te hercle ibam commodum.* Truc. 921: *At ego ad te ibam.* Merc.

884: *Quo nunc ibas?* || *Exulatum.* Trin. 400: *Sed aperiuntur aedes, quo ibam.*

Persona quae loquitur vel interrogatur (Merc. 884), non iam eo pervenit quo ire volebat, sed cum eo itura est scaenam transit.

Nunc permultos illos locos spectemus atque discernamus quibus verbum eundi significat abitum a scaena. Ac primum quidem de usu absoluto agendum est, tum vero de eis locis quibus directio abeundi indicatur, sive adverbiis sive substantivis, quae significationes loci in ordinem digerentur.

a) absolute:

indic. praes.:

1. pers.:

Cas. 792: *abi.* || *Eo.* Merc. 677: *abi tu intro.* || *Eo.* Merc. 788 *i, rogato.* || *Eo.* Mil. 1305: *i . . . duc.* || *Eo.* Mil. 1387: *quin intro is?* || *Eo.* Pseud. 1387: *Simul mecum ⟨i⟩ potatum. Si is . . faxo.* || *Eo.*

His locis persona quaedam quae abire iubetur imperio illi se obsecuturam esse dicit. Cas. 792 persona quae iubet dicit *abi*, Merc. 677 *abi intro*, at is qui respondet: *eo*, verbum simplex sine *intro*. Item Mil. 1387 *intro* non reperitur in responsione.

Aliis locis is qui dicit *eo* non antea abire iubetur:

Cas. 715/18 [711]: *Eo nunciam.* Merc. 385 et Persa 198: *Eo ego.* Persa 834: *credo eo.* Mil. 1339: *priusquam eo.* Truc. 642: *non eo.*

Persona quae loquitur alias personas se sequi iubet his locis:

Cas. 854: *Quin imus ergo?* (sic A, *qui nimis* P). 977: *Etiamne imus cubitum* (sup.). Merc. 582: *quin ergo imus?*

2. pers.:

Cist. 378: *Quin is, si itura's?* v. servavit Festus, atque ita *qui nisi itures.* Poen. 678: *Iamne itis?* Pseud. 891: *Quin tu is accubitum?* (sup.) *quit tu is* A, *quin vis* P. Poen. 1237: *Ite, si itis* (sic A, *ite sit tis* P) cf. Cist. 378.

3. pers. semel tantum invenitur, persona quaedam abire dicitur ab alia:

Poen. 330: *eunt hae. hae* ad aedem Veneris iturae sunt (v. 263).

Sequuntur exempla coniunctivi praes.:

1. pers. plur., is qui loquitur alium se sequi iubet:

Amph. 543, Merc. 1008, Mil. 78, Poen. 263, 329 (1422), Stich. 622.

1. pers. sing. semel invenitur:

Pseud. 1327: *Simul mecum ⟨i⟩ potatum.* || *Egone eam?*

2. pers. sing. tribus locis extat:

Rud. 403: *Ego eo intro, nisi quid vis.* || *Eas.* Truc. 129: *Sine me ire, era quo iussit.* || *Eas.* Merc. 373: *Si sapias, eas ac decumbas domi.*

Persaepe occurrit futurum verbi eundi absolute usurpatum atque omnibus fere in exemplis *1. pers.*

α. Quae exempla sic digeram, ut primum eos afferam locos quibus futurum *'ibo' non sequitur aliud futurum:*

Bacch. 571: *Immo ibo.* Men. 462: *Ibo.* Merc. 558: *non ibo tamen.*

β. Nunc ei sequuntur loci quibus *'ibo' excipitur alio futuro:*

1. per asyndeton:

Amph. 930, Aul. 263, Bacch. 366, Cist. 651, Merc. 672, Men. 845, Poen. 123, (127 [126]), secl. Guy. Poen. 794. Trin. 995: *Ibo, ad illum renuntiabo qui.* Sic Leo interpunxit, Goetz. et Schoell.: *Ibo ad illum, renuntiabo qui mihi tris nummos dedit.* Quam interpunctionem si sequeris, relativum *qui* non habet vocabulum ad quod referatur. Itaque falsa est.

2. alterum futurum coniungitur adhibita particula *et*, *atque*:

Amph. 550, Cist. 531, Curc. 273, Men. 557, 700, 875, Mil. 1085 [1084], Poen. 447, Stich. 143, 440.

3. a futuro pendet enuntiatum finale quod inducitur coniunctione *ut*:

Amph. 291, Aul. 65, Capt. 907, 919, Rud. 890.

Idem verbum tum sequitur vocem *ibo* sine coniunctione, tum adhibita *et*, tum *ut*, ut exempla afferam:

orabo: Men. 672 non coniunct. Curc. 272 *atque.* — *persequar:* Cist. 651 non coniunct. Cist. 531 *et.* — *conveniam:* Men. 557 *et.* Capt. 919 *ut.* — *consulam:* Poen. 794 non coniunct. Men. 700 *et.*

Adnotandum est nullo loco accidere, ut futurum *ibo* absolute usurpatum sequatur supinum.

Quinque locis additur *nunc:*
Bacch. 366, Men. 672, Poen. 794 (1). — Aul. 65, Capt. 907 (3).

ego additur: Capt. 919, Poen. 123.

egomet: Amph. 930, Stich. 440.

Tribus tantum locis inveni *2. pers. sing.:*
Cist. 114: *sicine inmunda obsecro ibis?* Mil. 450: *nisi voluntate bis* (*voluptate* (*—em* B) *ibi:* corr. Cam.). Persa 236: *Enim non ibis, nunc.*

Perfectum de abeundo de scaena uno loco occurrit:

Poen. 1134: *Oratum ierunt deam* (sup.). Personae de quibus agitur abierant iam post v. 409, in fine act. I, sc. II.

Satis saepe invenitur imperativus, cuius exempla eodem modo digeram quo futuri exempla discrevi:

1. non sequitur alter imperativus:

i: Aul. 696 (B², om. libr.), Epid. 714, Truc. 332, Cas. 854, Truc. 583, Poen. 405, Asin. 108 *ei, bene ambula* (sic Fleckeis., *fiet ne* libri), Trin. 1108.

ite: Cas. 834, Persa 469 *agite, ite vos* (sic Cam., *age rite* BC, *agite* D), Mil. 1351, Poen. 511, 1237.

additur *modo:* Cas. 756 [755], 758 (*i* A, om. P), Merc. 954/5 (ter), Persa 613, Poen. 428, 430, Stich. 477, Trin. 583, 584, 585, 587, 588, 589, 590 (ter).

sane additur ter: Epid. 79, Persa 198, Trin. 195.

sis additur bis: Cas. 749 [748]. Mil. 182 (*istis* A *sis* P, *i sis* Geppertus).

2. sequitur alter imperativus qui particula non coniunctus est:

Aul. 767, 768, 829, Bacch. 901, 1059, Capt. 950, Cist. 284, 286, Epid. 305, Men. 617 (*et* libri, *ei* Grut.), Men. 952, 435, Mil. 521: *ei, placide* (*et placide* corr. Ritsch.), Mil. 812: *Ei* (*et* corr. Gulielmius), Merc. 787, Mil. 1301, 1361, Most. 74: *i, rus te amove.* Leo *i rus,* te amove. Cum nullo loco imperativum *i* coniunctum invenerim cum *rus,* Goetzii et Schoellii interpunctionem secutus sum. Most. 377 (⟨i⟩ add. Schoell.), 682 (om. P), Poen. 424, Pseud. 326 et 330 (*ei* A, om. P), 349, Rud. 567 (*es. i* A, *est* P), Stich. 150 (*i* B om. ACD).

3. intercedit particula ‚et', ‚atque':

Aul. 458, Cas. 587, Merc. 282, Poen. 1116. Uno loco additur *sane:* Amph. 971: *i sane et . . fac.*

Adnotandum est nullo loco inveniri enuntiatum finale coniunctum particula *ut* quod pendeat ab imperativo. Item nullo loco cum imperativo coniunctum est supinum.

In fine huius capitis agendum mihi est de Amph. 770: *Fiat. * tu, Thessala, intus pateram proferto foras.*

Inter *fiat* et *tu* una syllaba deest ad quam supplendam Acid. proposuit *i* vel *heus.* Ego quidem Thessalam non in scaena esse puto, cum *intus foras* pateram *proferre* iubeatur. Imperativus *i* vero absolute usurpatus de exeunte e domo in scaenam nullo loco invenitur, semper additur *foras.* Itaque *heus* scribendum est. Thessalam non in scaena sed in domo esse eo quoque confirmatur quod usurpatum est verbum *proferre,* cum aliis locis quibus persona quae in scaena est aliquam rem e domo afferre iubetur alia verba inveniantur: Cist. 284 *i, adfer mihi arma;* Pseud. 349 *ei, gladium adfer;* Mil. 463 *Abi, machaeram huc ecfer.*

Infinitivus verbi eundi absolute usurpatus ad egressum de scaena significandum invenitur:
Cist. 112, Persa 181, 189, Mil. 1373, Trin. 457, Most. 848, Epid. 685, Truc. 592, Stich. 394. — Cist. 112 *ego volo ire* fortius dictum est quam *ego ibo* quod saepius invenitur.

Futurum passivi duobus occurrit locis:
Trin. 578: *Ibitur* (577 *abi*). Truc. 667: *Ibitur.* (666: *Alienum es . . qui non extemplo* ⟨*intro*⟩ *ieris?*)

Participium futuri semel inveni:
Cist. 378 (fragm. VI): *quin is, si itura's.* (Festus *qui nisi itures*). — cf. illud: *ite, si itis:* Poen. 1237.

Nunc nonnullos locos afferam quibus verbum eundi absolute h. e. sine indicatione loci unde vel quo abeunt personae usurpatum est, sed additur: *cum, simul, simul cum:*

Aul. 333: *i sane cum illo.* Most. 333: *age, i simul* (libri *ii, i* Cam.). Most. 897: *tu mecum, pessume, ito adversus* (*pessimi tu* P). Hoc loco *ire adversum* dictum est de servis adversitoribus. Invenitur forma *adversus*, cf. p. 14. Pseud. 1327: *simul mecum* ⟨*i*⟩ *potatum* (sup.) (*i* add. Bothius. om. P et ut vid. A). Hoc loco cum imperativo *i* coniunctum est supinum, quod in eis exemplis imperativi quae supra (pag. 18 sq.) attuli non invenitur.

Omnibus his locis invenitur imperativus. Semel ad fut. pass. additur *cum*: Cas. 758: *ibitur tecum.*

His ergo locis verbum eundi absolute usurpatum significat abitum a scaena.

b) Nunc multo maiorem numerum eorum exemplorum afferam, in quibus *directio abeundi indicatur*.

Ac primum quidem eos locos conferam quibus indicatur unde homines abeunt, tum eos quibus dicitur quo abeunt, denique ea exempla pertractabo in quibus et locus unde et locus quo abitur indicatur.

Qua de causa paucis tantum locis addatur unde personae abeant facile intellegi potest, nam supervacaneum erat personas a scaena abeuntes etiam pronuntiare se *a scaena* abituros esse.

I. In his exemplis locus *unde abeunt* personae indicatur solus:

Merc. 927: *hinc eo.* Mil. 1422: *Aliter hinc non eibis* (sic A, *a nobis* P); *hinc non eibis* fere significat: Du wirst dich aus der Affäre ziehen. Stich. 682: *Nunc ibo hinc et . . curabo* (*hinc* om. P). Amph. 501: *mihi necessest ire hinc.*

Omnibus in exemplis additur *hinc*, quod ad scaenam spectat.

II. *Directio abeundi accuratius significatur:*

Persaepe ubi personae abeunt in domum, additur *intro:*

praesens, ind. 1. pers.:

Epid. 650, Most. 848: *intro eo.* — Mil. 812, 1248, Rud. 403: *eo intro.*

2. pers.:

Epid. 303, Men. 382, Most. 815, Persa 672: *is intro.* — Mil. 1387: *intro is.* His quinque locis verbum in enuntiato interrogativo est, quod tamen enuntiatum pro imperativo usurpatum esse ex eo effici potest quod Most. 815 sequitur imperativus: *quin tu is intro atque . . . perspecta.*

praes. coniunct. 1. pers. sing.:

Cist. 117, Mil. 1250, Rud. 399. His locis extat enuntiatum secundarium.

1. pers. plur. saepius invenitur, ubi imperatur:

Trin. 1078, Men. 431, Merc. 1005, 1015, Mil. 1427, Capt. 1027, Men. 387, Poen. 491, 717, Rud. 1182: *eamus intro.* — Cas. 422: *eamus nos quoque intro. nunc* additur: Curc. 365, Men. 422, 1154.

Verbum semper praecedit in his exemplis.

2. pers. sing. uno loco extat: Merc. 567: *Intro eas?*

Futurum: 1. *ibo intro* non sequitur aliud fut.:

Aul. 700, Mil. 1121, Most. 849 [848], Stich. 87, Truc. 206 [205].

2. sequitur aliud fut. cum copula.

Aul. 659 (*hinc intro* libri, *intro* Nonius), Capt. 192, Epid. 164: *Ibo † intro atque . . . dicam* (*ibo* A, *i i abi* P, *i abi* Leo). Ego id quod A praebet *ibo* in textum recepi, quamquam metrum in initio versus corruptum est. *Abi* enim scribi non potest quod si legeretur referendum esset ad Epidicum ipsum, nam Strat. et Chaer. abierant post v. 158. Epidicum ergo secum ipso loqui cogitandum esset, quod quidem fieri v. 161/62 apparet, sed v. 163 invenitur: *certumst consilium ,mihi'*, hoc igitur loco non iam se ipsum adloquitur. Praeterea *ibo* propter fut. quod sequitur *dicam*, aptius est. Denique nullum locum inveni quo persona quae dicit *abi* se ipsam adloquatur. cf. Men. 331. — Men. 331: *Ibo intro et dicam.* Pseud. 903, Stich. 567.

3. fut. sequitur per asyndeton:

Amph. 1007, Epid. 319, Pseud. 1245: *ibo intro.* Poen. 929: *intro ibo.*

4. a fut. *ibo* pendet enuntiatum finale:

Aul. 278, 802, Cas. 511, 557, Poen. 920, Mil. 595.

Omnibus locis quibus invenitur fut. cum *intro* con- coniunctum est 1. pers. sing. Uno tantum loco adverbium *intro* antecedit verbo: Poen. 929. v. 923—29 dittographia

ortos esse agnovit Weisius. Atque in eo versu qui respondet v. 929 invenitur *ibo intro* (920).

Supinum ab *ibo intro* nullo loco pendet.

Imperativus:

Asin. 745, Aul. 451 (lectio incerta), Aul. 880, Capt. 951, Cas. 744/5, Epid. 158, Most. 807, Poen. 1356, Rud. 657, Stich. 396, Trin. 3, Truc. 176, 197 [196], 329, 696, 958. — Bacch. 1206 [1203]: *ite intro accubitum* (cum sup.).

Uno tantum loco imperativus sequitur adverbium Cas. 744/5, qui v. in cantico extat.

Cum infinitivo coniungitur *intro:* Merc. 917, Most. 852.

Gerundium semel occurrit: Merc. 916.

Satis multis locis ad verbum eundi additur *intro*. Atque ad frequentiam horum exemplorum id contulit, quod verbum compositum *inire* propria et principali significatione omnino non usurpatur, sed pro hoc composito invenitur *introire* vel *ire intro*. *Eo intro* fere una notio est, omnibus locis intellegendum est: *in domum*.

Atque re vera *ire intro* quasi pro composito usurpatum esse ex eo quoque intellegi potest, quod non raro adduntur *aliae significationes loci* de quibus nunc agendum est:

Amph. 409: *cur non intro eo in nostram domum?*

Hoc uno loco additur vocabulum *domus* ipsum, atque etiam cuius in domum intro ire vult persona dicitur: in nostram domum.

Adnotandum est omnibus ni fallor locis quibus invenitur *ire intro* personas quae loquuntur vel quae ire intro iubentur in suam domum intro ire, scilicet servos in domum eri sui (cf. Stich. 675, de quo loco v. infra). Si vero persona quaedam non in suam domum intrat, cuius in domum eat dicit. Talia exempla postea afferam.

Quam in domum introire velint personae accuratius indicatur:

hac: Bacch. 1185, 1175, 1181, Aul. 694 (praeterea: ad fratrem meum).

huc: Persa 77, Pseud. 654, Epid. 157 *(ad te)*, Bacch. 906 *(ad filium)*, Cist. 779 *(ad adfinem)*, Rud. 386 *(in Veneris fanum)*, Mil. 454.

illo: Merc. 567 (*illuc* corr. Ritsch).

illuc: Merc. 570: *nam nunc si illuc intro ieris* (*illuc* B, *illo introiris* CD). Si scripturam cod. B recipimus *intro* et *ieris* disiungenda sunt, si vero *illo* scribimus *introieris* coniungendum est.

eo: Bacch. 907. *isto:* Mil. 455.

Persona nominatur: Amph. 1145, Men. 1048, Stich. 400. — praeterea cf. supra sub *huc*.

ad officium meum: Trin. 818. *ad cenam:* Persa 849.

Omnibus his in exemplis in quibus invenitur *ire intro* homines abeunt in domum quae in scaena ipsa aedificata est.

At eis locis, qui nunc sequuntur quibusque additur *domum* tantum, illud *domum* significat nach Hause, non in das Haus. Nihilominus etiam hoc ad domum quae in scaena est spectare potest:

Men. 663, Merc. 659, Most. 335 (sup.), Trin. 1059: *eo*. — Amph. 1015, Aul. 712, Bacch. 507, Cist. 629, Men. 954, Mil. 259, Persa 198, Poen. 851: *ibo*. — Asin. 921, 923, 924, 925, 940: *i*. — Mil. 1278: *ire*. — Bacch. 146: † *iturus sum domum.* sic libri: locus incertus. Leo iniuria *prorsum* coniecit quod nusquam ad tale iussum additum invenitur. — Cas. 755 [753]: *i modo mecum domum.*

Praeterea additur ,hac': Trin. 710: *I hac mecum domum.*

Persona ad quam eunt homines *nominatur:*

Curc. 670, Mil. 1473 (ad me = domum meam), Rud. 1179, 1040, Asin. 913, 486, Capt. 126, Men. 996, Merc. 472, 962, Most. 317, Trin. 614.

Praeterea hae significationes loci adduntur:

huc: Cas. 161 [160] (*huc* A, *hinc* rell.), Bacch. 529, Aul. 330: *ite huc ad nos* (libri *illuc*). Librorum scripturam falsam esse demonstravit Kochius, nov. ann. vol. 108, p. 840. Versu praecedente dicitur *abi intro illuc*, atque v. 330 persona in aliam domum abire iubetur, ergo non idem adverbium adhiberi potest. Scribendum esse *huc* praeterea intellegi potest e v. 334 *huc intro abi ad nos.*

ad forum: Persa 487. *istoc:* Truc. 752.

Locus ad quem itur indicatur:

ad forum: Mil. 72, Cas. 526, Truc. 313, Merc. 797, Pseud. 561, 764, Trin. 727, Asin. 125. *ad portum:* Merc. 486, Amph. 460, Merc. 466. *ad navem:* Merc. 218.

His locis personae *in urbem* eunt. Sequuntur tria exempla in quibus quidem directionem eundi ut in eis exemplis quae modo attuli praepositio *ad* indicat, substantivis vero ipsis *certus locus non indicatur:*

ad cenam: Stich. 428, Truc. 547. *hac ad cantharum recta via:* Pseud. 1051.

Locum ad quem abeant personae indicat praepositio *in:* Poen. 190: *aedem Veneris.* Pseud. 169: *macellum.* Bacch. 235, Most. 66: *Piraeum.* Men. 1035: *tabernam.* Mil. 1393: *tumultum.* Rud. 1223: *urbem.*

Nunc alia afferam additamenta quae significant personam quae loquitur *digito directionem eundi ostendere:*

huc: Asin. 743, Trin. 600. *illuc:* Merc. 329 (scil. ad portum). *istuc:* Merc. 691, Cist. 623 *(quo properabas).*

Additur *hac* scil. *via:* Rud. 213 *(hac an illac),* 288, Merc. 222, 747, 689, Pseud. 1332/3 [29], Men. 405, Trin. 580. *istac:* Merc. 219. *ea:* Stich. 451. *qua:* Most. 969.

Duobus locis quibus invenitur *illo,* Stich. 250 (*illuc* A) et Merc. 462, persona non digito directionem eundi monstrat sed *illo* ad v. praecedentem referendum est.

Quem locum petant personae enuntiato relativo dicitur: Aul. 118, Trin. 628, Persa 197, Truc. 129, Merc. 649.

quo incertam directionem significat: Men. 1029, Rud. 225, Most. 334, Pseud. 1102.

obviam: [Poen. 1162] secl. Brachmannus.

Uno loco servus qui a scaena abit ero suo *adversum* it: Cas. 724.

Directio non certa indicatur: Rud. 766: *aliquo quaeritatum* (sup.). Aul. 284: *siquo.*

III. His ergo locis quo vel qua via personae abeant indicatur. Nunc vero ea exempla afferam in quibus et *locus unde abeant et locus vel directio quo abeant personae significatur.* Atque in omnibus fere exemplis unde abeant homines indicatur adverbio *hinc:*

hinc intro: Bacch. 105, Poen. 502, Aul. 602, Rud. 1263, Mil. 1376 *(ad amores meos).* *intro hinc:* Amph. 1039.

Ad personam abitur *hinc:* Bacch. 348, Asin. 817, Mil. 1037 ⟨*hinc*⟩ ⟨*ad te*⟩ suppl. Leo ex Ussingii et Palmeri sententia.

Ad locum abeunt homines *hinc:* Merc. 461: *ad navem.* Capt. 496: *ad portum.* Most. 853, Bacch. 1060: *ad forum.* Merc. 277: *ad villam.* Mil. 585: *domum,* spurium esse vidit Ribbeck. Rud. 144: *domum.*

Bis tantum *status abeuntis alio modo indicatur,* non addito *hinc:*

Asin. 130 [131]: *iam ex hoc loco ibo ego ad tresviros.* Rud. 1051: *ite, inquam, domum ambo nunciam ex praesidio praesides. ex praesidio* ne locum quidem significare opus est, actionem quoque indicare potest.

Si qua de causa praeter directionem eundi etiam *hinc* addiderit poeta quaerimus, metri causa hoc factum esse dicendum erit, nam personam, quae a scaena in domum, quae ipsa in scaena erat, abibat, addere non opus erat *hinc.* Si vero ad locum qui non in scaena erat persona abibat, illud *hinc* minus abundat.

Omnibus omnino locis quos adhuc attuli verbum eundi motum in scaena ipsa actum indicat, scilicet motum quem spectatores animadvertere potuerunt. Iam vero eos afferam quibus verbum eundi non de abeunte a scaena vel de veniente in scaenam sed **de motu qui alio loco fit** usurpatur.

a) absolute:

Bacch. 592, Most. 877, [Bacch. 446]: *ind. praes.* Stich. 608, Mil. 1188, 1190, 1299, 1317, 1319, Bacch. 576: *coniunct. praes.* Merc. 981:

ind. imperf. Persa 710: *coniunct. imperf.* Men. 1034, Most. 1131, 1133: *futurum.* Aul. 178, Epid. 41, Mil. 1405, [Poen. 1420]: *infinitivus.* Aul. 527: *itur.* Stich. 264 [263]: *ituru's* (kommen). Merc. 83: *esse iturum me mercatum* (sup.).

b) directio eundi indicatur:

intro:

Mil. 1385 (kommen), Truc. 642 *(in aedes)*, 666 (⟨*intro*⟩ suppl. Brixius). Most. 390, Truc. 708, Most. 422 (*ad se* Pylades, *adest* libri), Mil. 1168 *(in alienam domum)*, Asin. 617 *(in aedes)*, Truc. 353 *(quo)*.

Tribus prioribus locis *ire* significat kommen, scilicet: non in scaenam. Concedendum est his quoque locis *intro ire* simul significare: a scaena abire, sed alia notio hineinkommen magis premitur. Item reliquis locis personam quae intro it a scaena abire opus est, sed ibi non ita verba intellegi vult poeta sed sic: das Haus betreten.

Persona ad quam itur nominatur:

Mil. 1275, 1276, Men. 762, 785, Mil. 1405, Asin. 391, Rud. 847, Stich. 293 (*iri* P, *adire* A).

Omnibus his locis *ire* significat kommen.

Praeter personam additur ‚domum':

Stich. 249. ire = kommen.

Eis locis qui sequuntur *ire ad aliquem* significat *zu jemand gehen.*

Capt. 508, 194, Asin. 394, 865, Bacch, 575, Merc. 665, Truc. 150, Stich. 775 (finis fabulae indicatur) (sup.), Capt. 475 *(de foro)*.

Locus qui petitur indicatur adhibita praepositione *in:*

Asin. 357, Rud. 382: *in balineas* (sup.). Stich. 568: *in pyelum* (sup.). Amph. 66: *in subsellia.* Persa 677: *in navem.* Pseud. 1180: *in vigiliam.* Merc. 980: *in exilium.* Bacch. 458: *in mare.* Rud. 122: *in paludem.* Curc. 470: *in comitium.* Asin. 887: *in ganeum.* Merc. 303: *in ludum litterarium.* Rud. 856: *in urbem obviam ad portum mihi.*

In his exemplis adhibetur praepos. *ad:*

Asin. 864: *ad cenam.* Capt. 497: *ad prandium.* Mil. 1186, Merc. 468, Mil. 1192, Rud. 307: *ad portum.* Rud. 1201, Bacch. 347 (sup.): *ad forum.* Trin. 944: *ad villam* (sup.).

additur *rus:* Capt. 78, Men. 63, Pseud. 549, Merc. 668, 711, Truc. 645.

additur: *domum:* Mil. 1101, Rud. 1252 (de spectatoribus agitur), Men. 1034, Asin. 594, Rud. 819.

foras: Stich. 612 *(ad cenam)*, Men. 114, Most. 878 (sup.).

In his exemplis *foras* non significat: e domo in scaenam, sed in universum: e domo, nach auswärts.

Personae quae *advorsum* vel *obviam* eunt non a scaena abeunt:

Capt. 501 *obviam* (kommen). — Most. 877 [876], Merc. 115, Stich. 607.

Nomen proprium ad locum significandum usurpatum est:

Curc. 362, Rud. 54, Bacch. 354, Mil. 1186.

Non certus locus indicatur:

Pseud. 899: *circum.* Curc. 362, Men. 115, 789: *quo.* Asin. 195: *alio.* Aul. 449: *quoquo.* Cas. 92: *quoquo.* Truc. 403: *aliorsum.* Curc. 392, Mil. 119, Curc. 6: *quo* (relat.).

Locus unde abitur indicatur (accedunt pauca exempla iam supra allata):

Bacch. 304: *a portu.* Bacch. 447: *illinc.* Trin. 939: *inde.* — *hinc.* Bacch. 104, Merc. 644, Persa 578, Trin. 112 *(in Seleuciam)*, Bacch. 591 *(in Elatiam)*, Persa 562 *(in exilium)*, Most. 25 *(peregre)*, [Poen. 1419 *Carthaginem*], Capt. 451 *(domum)*.

hinc in his exemplis non *a scaena* significat sed *ex hac urbe*, scilicet ex ea urbe in qua scaenam esse poeta voluit. Atque eis locis quibus nomen urbis quo eunt personae appellatur, *ire* transferri potest reisen, abreisen.

Iam nonnulla afferam exempla quae eo differunt ab omnibus quae adhuc enumeravi, quod in his *ire* non motum ab aliquo loco vel ad aliquem locum significat sed in universum **motum ipsum,** scilicet **actionem eundi:**

Aul. 714: *caecus eo.* Pseud. 242: *tam placide is.* Aul. 721: *male perditus, pessime ornatus eo.* Pseud. 911: *ut it, ut magnifice infert sese.* Trin. 624: *celeri gradu eunt uterque.* Poen. 569: *Optume itis* (praecedit: *tardi sumus*). Cist. 378 (fragm.): *nimium is vegrandi gradu.* Poen. 511: *quin si ituri hodie estis ite* (cf. *ite si itis* pag. 19). 512: *sicine oportet ire* scil. sic tarde. Mil. 1353: *ite cito.* Merc. 671: *quin is ocius?* Pseud. 1293: *Vir malus viro optumo obviam it.* Pseudolus neque abit neque venit. Bacch. 1123: *eunt sic a pecu palitantes.* Pseud. 863: *Si iste ibit, ito, stabit astato simul.* ire *cum* = begleiten: Epid. 218, 241, Bacch. 577,

Merc. 868. Amph. 929: *iuben mi ire comites.* Poen. 523: *liberos homines per urbem modico magis par est gradu ire.* Cf. Alexidis fragm. n. 263 (Kock.): *ἓν γὰρ νομίζω τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων εἶναι, τὸ βαδίζειν ἀρρύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς, ἐξὸν καλῶς.* Curc. 35: *nemo ire quemquam publica prohibet via.* Epid. 208: *ire vidi milites plenis viis.* Most. 842: *Latius demumst operae pretium ivisse.* Amph. 330: *vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existumes.* Stich. 292: *pedibus ire non queo.* Poen. 611: *Nos priores ibimus.* Asin. 660: *ante me ito. i prae:* Cist. 773, Curc. 487, Pseud. 170, 241. cf. Donat ad Ter. Andr. v. 171: ‚i prae' figura *ἀναστροφή* quod nos praei dicimus. — Forma *praei* uno tantum loco invenitur in fabulis Plautinis, ubi translate verbum usurpatum est, Rud. 1335: *praei verbis.* — Amph. 551: *age i tu secundum.* Stich. 453: *ite hac secundum vos me. ire secundum* idem significat atque *sequi* idque formae *ire prae* plane contrarium est.

Iam in fine huius partis dissertationis meae perpauca de verbi eundi **usu translato** addam.

Persaepe occurrit verbum eundi coniunctum cum *in crucem, in malam crucem, in maxumam malam crucem, hinc in malam crucem, a me in malam crucem* (Rud. 518, Cas. 641 *a me* om. P), *maxumam malam crucem* (Men. 328, Persa 352, A, *in max.* rell. Capt. 469), *in malam rem, in malum cruciatum, dierecte, dierecta.*

Cum his quoque vocabulis coniunctum verbum eundi genuinam significationem amisit: *ire infitias, ire in ius.*

Alibi *subiectum* ad quod referendum est verbum eundi *non persona est, sed res:*

Bacch. 1203, Cas. 510, Pseud. 241ª [240], Rud. 1001: *it dies.* Poen. 683: *it ad me lucrum.* Persa 173: *Ovis si in ludum iret. ovis* Bergkius, *quis* A, *cuis* B, *cuius* CD. Persa 98: *Nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo.*

His quoque locis *ire* genuinam significationem verbi quod motum indicat amisit:

Cist. 223: *non eo pessum.* Cist. 685: *Actumst, ilicet.* Capt. 184: *I modo, venare leporem: nunc irim tenes.* Hoc loco imperativo persona non re vera a scaena abire iubetur, nam ea quoque quae sequuntur non proprie dicta sunt. Similiter imperativus compositi *abire* usurpatur, quo de usu postea referetur. Poen. 692: *irem in carcerem recta via.*

Stich. 624: *in carcerem ires.* Capt. 723: *Inde ibis porro in latomias lapidarias.* Stich. 625: *Eo quoque ibo* (scil. *in carcerem*). Quattuor locis modo allatis *ire* transferri potest: spazieren, wandern, scilicet non ultro, sed vi coactum. Rud. 1316: *bene ego hinc praedatus ibo.* Pseud. 1138: *Bene ego ab hoc praedatus ibo.* Stich. 484/5: *ego ivero apertiore magis via* (*at ego hac iero* libri, *ego adiero* Goetzius). Capt. 90: *ire ad saccum.* Epid. 423: *ei volo ire advocatus.* Mil. 879: *ire in opus alienum.* Most. 1101: *ire ad iudicem* (= *in ius*). Trin. 732: *ire in matrimonium.* 885: *ire . . a meo primo nomine.* Truc. 511: *ire in proelium.*

Denique ea exempla afferam in quibus verbum eundi *absolute* usurpatum *cum supino* coniunctum est. (Si supinum accedit ad exemplum in quo locus indicatur suo loco id supra notavi).

Talibus quoque locis verbum eundi genuinam vim omnino fere amisit. Nonnullis vero locis quos supra attuli verbum eundi absolute usurpatum et cum supino coniunctum significationem motus servavit.

Supina quibuscum *ire* coniungitur afferam:

dormitum: Aul. 302, Curc. 183, Most. 693, 705. *discubitum:* Merc. 100. *accubitum:* Bacch. 755, Men. 368. *cubitum:* Pseud. 846, Cas. 853. *perditum:* Truc. 559, Aul. 736. *coctum:* Pseud. 845, Aul. 325. *coquinatum:* Pseud 853. *ereptum:* Cas. 721, Persa 63. *depressum:* Cist. 37. *petitum:* Aul. 247. *supplicatum:* Persa 447. *sitim sedatum:* Curc. 116 [118]. *consultum:* Bacch. 565. *operam datum:* Poen. 502. *obambulatum:* Trin. 315. *nuptum:* Cas. 86. *oppugnatum:* Bacch. 1171. *pastum:* Persa 318. *opitulatum:* Mil. 621. *honorem habitum:* Cist. 4.

Iam paulum subsistamus breviterque retrospectemus.

Paucis tantum locis verbum eundi ad personam quae in scaenam prodit antea pronuntiandam usurpatum invenimus. Atque si causam huius rei quaeramus inde eam repetamus quia hoc verbum simplex in universum tantum motum significat, ad personas pronuntiandas vero verbis praegnantioribus uti solet Plautus.

Tum nonnullis locis verbum simplex eodem modo usurpatum invenimus quo compositum *adire* usurpatur,

scilicet ad motum significandum qui ab altera parte scaenae ad alteram partem fit, scilicet ante oculos spectatorum.

Longe maiorem vero partem omnium exemplorum obtinet significatio: abire a scaena, qua ipsa in parte frequentissimi sunt ei loci quibus personae in domum (intro) abeunt. In his exemplis longe praevalet prima persona, persona enim quae abit antea quo itura sit ipsa praedicat.

Non raro etiam verbum eundi motum non in scaena ipsa significat, qua in consuetudine praevalent altera et tertia persona. Saepe occurrit coniunctivus, persona quae loquitur alterius iussum affert, nec raro praeterea infinitivus qui e verbo dicendi pendet. Non nullis quoque locis verbum eundi in narratione talibusque locis prima persona satis frequens est.

Aliis locis *ire* merum motum neglecta directione eundi indicat.

Denique coniunctum cum quibusdam additamentis translatam significationem habet quorum exemplorum e numero imprimis commemorandae sunt devotiones: i in crucem, in malam crucem similiaque.

abire.

Hoc verbum ad personam quae in scaenam venit pronuntiandam usurpari non posse iam ex significatione ipsa intellegi potest.

His locis verbo abeundi significatur **motus in scaena ipsa**:

Bacch. 1149: *quo illae abeunt.* Bacchides ad quas haec verba spectant non a scaena abierunt sed paulum tantum abscedunt (v. 1149: *Soror, est quod te volo secreto*). In versibus sequentibus *consilium secretum* habent (v. 1154), v. 1166 rursum ad Nicobulum accedunt. Cist. 702: *Sed is hac abiit. contemplabor. hinc huc iit: hinc nusquam abiit.* Ancilla quae loquitur vestigia in scaena ipsa persequitur. *abire* hoc loco transferri potest weitergehen. Capt. 215 b: *Abite ab istis.* Exspectaveris: abscedite, quod etiam invenitur v. 213.

Frequentissima est significatio: **abire a scaena,** de qua nunc agetur.

A. *absolute*:

praes. ind:

abeo: Amph. 455, 857, 1035, Asin. 378, Aul. 103, 660, Capt. 67, Cas. 214, 503, Curc. 553, 588, Epid. 63, 377, Men. 956, Mil. 259, 444, 456, 1087, 1092, 1096, Most. 654, Persa 250, 672, Poen. 608, 916, 1150, Pseud. 665 [1252: *abeo madulsa* Lipsius, *habeo madulsam* P], Trin. 198, 996, Truc. 848.

Nonnullis locis persona quae se abituram esse dicit antea ab alia abire iubetur, quae quidem dicit *abi hinc, a me, intro,* altera vero respondet *abeo,* verbo absoluto.

abimus: Merc. 773, Mil. 1280. *abis*: Amph. 513, 514, 532, Persa 670 [671], Poen. 431, Aul. 660 (*hinc* libri, del. Pyl.), Men. 441, Merc. 757, 778, Mil. 1085, 1087, Most. 991, Persa 50, Poen. 608, Pseud. 308, Rud. 584, Truc. 919. Tribus prioribus exceptis in omnibus exemplis ubi extat *abis* invenitur enuntiatum interrogativum vice imperativi. Item in omnibus exemplis est sententia principalis. Sententia secundaria invenitur: Asin. 232, 940, Stich. 538, Truc. 115, 267. — *abitis*: Persa 827, Poen. 1211. *abit*: Pseud. 241 b *Heus abit*: *quin revocas* (*abit* corr. Bothius).

praes. coniunct:

abeam: Aul. 730, Curc. 589, Merc. 749, Most. 579, Pseud. 239 b. Postremo loco excepto sententia interrogativa est. *abeamus*: Most. 989, Poen. 607, Merc. 1016.

Duo priora exempla iussum continent, forma *abeamus* pro 1. pers. plur. imperativi usurpatur. Merc. 1016 occurrit sententia secundaria.

abeas: Amph. 1037, Bacch. 604, 1171 [72], Persa 297, Poen. 442, Pseud. 393, 655 (supin.), Rud. 834, 1031.

Maior pars exemplorum iussum continet.

abeat: Most. 633, Pseud. 242, [241 b]. *abeant:* Cas. 744 [44/5].

coniunct. imperf. semel absolute usurpatus est: Trin. 591: *Tandem impetravi abiret.*

futurum: Cas. 961/2 [56/62], Truc. 546: *abibo.* Men. 430: *abibis.*

Tribus tantum locis fut. abs. usurpatum est atque duobus tantum locis aliqua persona se abituram esse ipsa dicit. At cf. *ire* pag. 17 sq.

P e r f e c t u m :

abiit: Aul. 245, Cist. 650, Merc. 661, 792, Persa 716, Trin. 717, Truc. 513, (*ab⟨iit ub⟩ist* Leo, *abisti* libri) Cas. 794, Men. 333, Merc. 791, Men. 957, Pseud. 910, Mil. 481, Most. 76.

Omnibus in exemplis *abiit* non in narratione locum habet sed referendum est ad personam quandam quae brevi ante scaenam reliquit. Duobus posterioribus locis invenitur *satis*, scilicet: satis longe.

abiisti: Stich. 632/3 [31], (*abisti* P, *abierunt* A) Truc. 634.

P l u s q u a m p. c o n i.: Pseud. 912: *abiisses.*

F u t. II:

abiero: Bacch. 211, Epid. 515, Most. 590, Persa 250, 730, Poen. 442. *abierit:* Aul. 656, ubi notioni abeundi adiuncta est notio effugiendi; *abierit* significat er wird sich aus dem Staube machen.

I m p e r a t i v u s absolute usurpatus persaepe invenitur. Quibus in exemplis enumerandis in universum sequor eam dispositionem quam inveni in Thesauro linguae Latinae.

a) Merus imperativus *sine altero imperativo:*

abi: Cas. 500, (*abis* corr. Cam.) 791, Merc. 749 (ter), Mil. 574, (*abit* P) 808, (*abis* corr. Cam.) 864, Most. 580, Persa 247, Poen. 607, Rud. 776, Truc. 285, 754, Amph. 353, Asin. 228, Aul. 459, Mil. 857, Most. 1180, Persa 123, 215, 195, Rud. 779, 1327. *abite:* Pseud. 758, Mil. 1280.

b) *Sequitur alter imperativus particula non coniunctus:*

Curc. 255, Mil. 463, Persa 667, Poen. 1406, Truc. 366. Postremo loco alter imperativus praecedit imperativum *abi.*

c) *Alter imperativus adiungitur particula ‚et':*

abi praecedit:

Bacch. 592, Cas. 491, 613, 715/18 [712], Cist. 287, Men. 220 Persa 165.

Alter imper. praecedit:

Capt. 125, Poen. 426, Stich. 265; Aul. 273 et Cas. 149 [148]: *tace atque abi.* cf. fragm. Anaxippi (Kock. III, p. 316 n. 57): *ἀπελθὼν αὐτὸς ἡσυχίαν ἄγε.*

Omnibus quos adhuc attuli locis imperativus re vera abitum a scaena significat. In eis vero exemplis quae nunc sequuntur

d) notioni abeundi adiuncta est *notio improbationis:*

Aul. 826, Men. 351, Capt. 870, Mil. 291, 324, Most. 1080, Persa 490, Trin. 972, Truc. 756.

e) Imperativus *devotionem* continet:

Men. 1017, Most. 569, 850 [49/50], Persa 316, Cas. 229.

His locis quibus improbatio vel devotio (d, e) invenitur imperativus *abi* transferri potest: mach, daß du fort kommst.

f) *Cum laude* imperativus coniunctus est ter:

Asin. 704, Trin. 830: *abi laudo.* Persa 215: *Iam abi, vicisti.*

Iam agendum est de Cist. 502: *alibi quaere ubi iuri iurando. alibi quaere* A, *abi quaerere* P. Goetz. et Schoell. hanc scripturam librorum Pal. in textum receperunt, scilicet *abi, quaere.* Sed et *alibi quaere* scribere licet, ad sensum hoc et illud aptum est. Si cod. A sequimur v. hic non afferendus est.

I n f i n i t i v u s: Capt. 848 (sup.), Mil. 444, Rud. 834 (*abire* F Z, *adire* B C D, sequitur *abeas*), Persa 300 (inf. perf.). Persona de qua agitur brevi ante abierat.

F u t. p a s s i v i: Merc. 776: *abibitur.*

P a r t i c i p. f u t: Poen. 432: *abiturun es?*

Haec habui exempla in quibus verbum abeundi sine indicatione loci unde vel quo abeant personae occurrit.

Quod ad tempora attinet adnotandum est raro inveniri futurum, at perfectum quod in verbi eundi pertractatione semel tantum absolute invenimus hic saepius occurrere.

Supinum bis tantum adiungitur.

B. Nunc spectemus quibuscum *indicationibus loci* coniunctum sit verbum abeundi, scilicet eis locis quibus abitum de scaena significat:

1. Locus *unde abeat* persona indicatur:

a) *hinc.*

praes. ind. *abeo:* Rud. 1013, Curc. 210, Mil. 1416. *abis:* Amph. 354, 360, 357, 440, Merc. 168, Bacch. 1168, Stich. 603.

Uno tantum loco persona quae abire vult antea se abituram esse pronuntiat: Rud. 1013. Ei loci quibus occurrit altera persona praeter notionem abeundi notionem improbationis continent. Atque Mil. 1416 abire praeter egressum e scaena significat davonkommen.

praes. coniunct.: Most. 393: *abeamus.* Truc. 824: *abeam,* quod idem significat quod Mil. 1416 *abeo.*

Ad indic. perf. saepe additur *hinc:*

abiit: Aul. 265, 460, Poen. 917, Capt. 901, Epid. 81, Poen. 445, Trin. 718, Truc. 884, Cist. 123, Men. 336, Persa 711 (*hinc* add. Kiessling), Pseud. 394, Trin. 998.

Personae illae quae abiisse dicuntur brevi ante scaenam (quae indicatur adverbio *hinc*) reliquerunt.

Nonnullis locis persona quae loquitur sola in scaena remanet atque aliam personam abiisse gaudet quia iam libere loqui sibi liceat.

Semper ita composita sunt verba *illic hinc abiit;* in quibus adverbium semper antecedit.

abii: Aul. 705: *nam ut dudum hinc abii multo illo adveni prior.* Strobilus abierat iam post v. 681. Capt. 478: *nam uti dudum hinc abii accessi ad adulescentes in foro.* Ergasilus abierat post v. 191 quo tamen loco parasitus omnino non dicit se abiturum esse. At nunc, v. 478 sqq., id praedicat quod supra praeterierat dicere, scilicet quo abierit quidque egerit. Aptissimum hoc est exemplum quo demonstretur Plautum semper spectatoribus quo personae abeant explanare, atque si hoc neglexit eo loco quo persona scaenam relinquit postea id quod antea non dixit affert. *abiisti:* Rud. 1056 (sup.).

coniunct. perf.: Amph. 695, Pseud. 1031.

futurum II: Rud. 1328: *abiero.*

Imperativus: Rud. 1053, Cas. 793, Mil. 1111.

Ei loci quibus indicatur quo *hinc* abeant personae postea afferendi sunt.

Infinitivus coniunctus est cum *hinc:* Epid. 63, Merc. 776, Rud. 249, 815, 817, 944, 1027, Truc. 286.

Omnibus his locis adverbio *hinc* significatur scaena vel is locus quo personae quae loquuntur stant. De aliis exemplis in quibus *hinc* urbem significat postea agendum est.

Multis locis atque imprimis eis quibus imperativus extat adverbium *hinc* omittere fere licebat, scilicet notio vocabuli quod locum indicat non premitur, sed *hinc* cum verbo unam notionem efficit. Cf. Holtzius, syntaxis p. 62: Sunt quaedam verba et dictiones quibus coniunctum *hinc* notionem verbi distinctius notat, ut *hinc abire* est weggehen.

Compositum *abire* saepius coniungitur cum *hinc* quam simplex *ire* quod quattuor tantum locis huic adverbio adiungitur (pag. 20).

Praeter adverbium ‚hinc' inveniuntur *aliae significationes loci unde abeunt personae:*

ab oculis: Cas. 302, Trin. 989. *a me:* Amph. 857, Poen. 689.

b) *Unde abitur* alio modo significatur, non addito *hinc.*

istinc: Pseud. 1196, Most. 851. Haec verba *abi istinc* ad canem facit Tranio. *istinc* significat locum paulum remotum ab eo loco ubi persona quae abire iubet stat.

Locus *substantivo* indicatur: Men. 553: *ab his locis lenoniis.* Trin. 983 (*abire* libri, *ire* Guietus) et Men. 837 [36]: *ab his regionibus.*

c) Non a loco sed *a persona* abitur:

Amph. 531, Mil. 478, Bacch. 1176, Cas. 731, Mil. 1084, 1331 (*abit* = verlassen muß).

His locis, quibus persona a qua abitur nominatur, verbum notionem abeundi a scaena paene amisit.

Similes sunt ei qui sequuntur:

e conspectu meo: Amph. 518, Men. 876. *ab oculis:* Truc. 477.

2. *Quo abeant* personae dicitur:

a) *intro.*

praes. ind.: Cas. 142, Epid. 665: *abeo intro.* Cist. 330: *intro abeo.*

praes. coni.: Cist. 772, Mil. 944, Poen. 194, Stich. 147: *abeamus.* Amph. 970: *abeam.* Mil. 259: *abeas.*

perfectum:

abii: Cist. 683: *si nemo hac praeteriit, postquam intro abii.* Halisca ancilla quae loquitur, ita ut nobis nunc servata est fabula, v. 671 primum in scaenam prodit, quae persona in indice personarum sequitur Phanostratam quae vero primum in scaenam prodit v. 543. Itaque in fabula integra quoque Halisca v. 671 primum in scaenam venisse putanda est, quamquam ex verbis ipsis quae facit Halisca, imprimis ex eo quod spectatores adloquatur (v. 678), effeceris spectatores Haliscam intro abeuntem (v. 683) vidisse. Cf. praeterea v. 710: *nam dudum ut accurrimus ad Alcesimarchum.* Illud *dudum* igitur ad tempus quod fuit ante initium fabulae ipsius referendum est, non in fabula ipsa accucurrit Halisca ad Alcesimarchum. Hoc notandum est quia, ut Haliscam cistellam in ea parte fabulae quae desideratur amisisse putes facile inducaris. *abiit:* Amph. 1045, Men. 698, Mil. 1145 (sup.), Truc. 758, Cist. 528, Men. 550a [550], Truc. 210.

Futurum II: Mil. 1176: *abierit.*

Imperativus cum *intro* coniunctus saepe invenitur: *abi intro:* Aul. 89, 103, Bacch. 227, Cist. 119, Epid. 655, Mil. 394, 1129, Most. 425, Pseud. 161, Rud. 1254, Epid. 604, 714, Mil. 302, 857, Merc. 677. *intro abi:* Asin. 543, Cas. 214 [213], 295, 419, 421, Cist. 591, Epid. 601, Most, 397, Pseud. 890, Cist. 770, Capt. 452, Mil. 255. *abite intro:* Cas. 832. *intro abite:* Aul. 455, Pseud. 168, Mil. 928, Poen. 604.

Quo personae intro abeant accuratius indicatur: addito *huc:* Trin. 7, Aul. 334. *illuc:* Aul. 329 [328a]. Persona ubi *huc* vel *illuc* dicit digito domum monstrat.

Persona nominatur: Stich. 533: *ad me.* Bacch. 714: *ad Bacchidem.* Mil. 535: *ad vos domum.*

b) *Non intro sed alio abitur:*

domum: Cist. 148, 596, Poen. 814, Amph. 1126, Persa 147, 306, Poen. 309. Most. 582: *Immo abi domum, verum hercle dico abi domum* (*modo* P, *domum* A, quod sic repetitum fortius est quam *modo*). Stich. 264 [263], Truc. 838.

Quam *ad personam abeunt* homines dicitur: Rud. 880: *ad nos.* Trin. 577: *huc ad meam sororem.* Asin. 367: *ad forum ad erum.*

Certus locus quo personae abeant his quoque locis indicatur: *ad forum:* Bacch. 902, Persa 444. *ad litus:* Rud. 855. *ad navem:* Men. 878. Trin. 798: *abi ad thensausum* (sic Cam., libri *tibi Athenas aurum*). Rud. 586: *quin abeo huc in Veneris fanum* (*huc* A, *hinc* P), cf. v. 622: *currite huc in V. fanum.* 570: *intro rumpam iam huc in V. fanum.* Templum Veneris igitur in scaena ipsa erat. *in aram:* Rud. 707 (sup.). *rus:* Most. 8, 66, 83.

Via qua abeat persona *indicatur: hac:* Men. 556, 566. *tuam viam:* Rud. 1027.

c) *Indicatio loci non certa est:*

quaeritur *quo abis?:* Asin. 597, Aul. 203, 444, Cas. 231, *quo dignus es:* Men. 516. *nequo:* Rud. 1013. *quo lubet:* Aul. 657, Stich. 524. *nequoquam:* Most. 562.

3. Iam ea pertractabo exempla quae et indicationem loci *unde* et loci *quo abeatur* continent:

hinc intro: Men. 603, Rud. 1189, Merc. 930, Most. 294. *intro hinc:* Stich. 774. *intro hinc ad me:* Epid. 379. *hinc intro huc:* Persa 200. *hinc ad forum:* Most. 706. Mil. 89: *ille miles meus erus, qui hinc ad forum abiit.* Hic v. in prologo extat, qui in Mil. gl. fabula locum suum habet post act. I. Atque miles ille de quo agitur v. 89 iam in fine actus I (v. 78) ad forum abierat (v. 72). Omnibus vero aliis locis similibus (de quibus supra egi) persona quae abiisse dicitur vel versu praecedente vel brevi ante scaenam reliquerat. *hinc domum:* Most. 578. Cist. 192: *quae dudum flens hinc abiit ad matrem suam.* Hoc exemplum simile est Mil. v. 89, nam hic quoque versus in prologo invenitur, atque Selenium ad quam referenda sunt illa verba non brevi ante sed iam post. v. 116 in domum abierat, quem inter versum et prologum qui a v. 149 incipit Syrae oratio intercedit. *hinc ad te:* Poen. 1148. *nequo hinc:* Men. 852. Hoc loco *abire* significat entweichen.

Haec habui exempla quae et significationem loci unde abeatur et indicationem loci quo abeatur continent. Unde abeatur omnibus locis indicatur adverbio *hinc,* quod adverbium scaenam significat. Locus qui petitur in maiore parte exemplorum indicatur adverbio *intro* (cf. ire pag. 20 sqq).

Iam de eis locis agam quibus **verbum abeundi non ad motum referendum est qui in scaena vel de scaena ad alium locum fit.**

A. *absolute:*

praes.: Amph. 628, Mil. 178, Aul. 106: *invitus abeo.* Scilicet: a domo. *abeo* significat ich entferne mich. Curc. 351, Mil. 770: *ab-*

ducat habeatque, sic Scal. et Bothius, *abeatque* D[3]FZ, Goetz. et Schoell., Ritschelius.

imperf.: Aul. 179, Mil. 1208, Rud. 378.

perfectum: Aul. 708, Merc. 981, Mil. 251 (sup.), Most. 486 (sup.), Rud. 325 (sup.), Trin. 535 (sup.), Stich. 137, Pseud. 623, Stich. 268, Truc. 654, Curc. 559 (sup.).

fut. II: Stich. 594.

part. praes.: Asin. 591, 593, Epid. 90a [90], Mil. 179, Stich. 406. Adnotandum est part. praes. nisi absolute non inveniri.

imperativus: Mil. 761. Stich. 696: *abi tu sane superior.* Hoc loco *abire* non significat weggehen, verba illa spectant ad ordinem sedendi in scaena. Curc. 281 (*abire* = Platz machen).

infinitivus: Capt. 332: *alio pacto abire non potes.* cf. Mil. 1422: *aliter hinc non ibis.* Men. 1028, 1058, Most. 377, Pseud. 551, Rud. 65.

B. *Inveniuntur indicationes loci*:

1. *unde* abitur dicitur:

a) *hinc*:

Most. 1117, Capt. 260, 887, Pseud. 53, 1053. Amph. 807: *cubitum hinc abiimus* (sup.). Id quod Alcumena hoc versu narrat ante initium fabulae ipsius factum est, scilicet cum Iove cubitum abiit (prol. v. 131 sqq.). Amph. 758, Bacch. 179, Truc. 301, Trin. 714.

b) *praeter ‚hinc' inveniuntur aliae indicationes*:

persona nominatur: Amph. 639, 743, Mil. 1167. *in exercitum*: Amph. 102, 125. *ad legionem*: Epid. 46. *ad portum*: Merc. 255. Nomen proprium: Bacch. 171, 388, Capt. 573 *ad patrem. peregre*: Most. 958. *ad mercatum*: Most. 971.

Eorum exemplorum in quibus invenitur *hinc* alia in narratione sunt, in aliis vero *hinc* non ad scaenam, sed ad urbem spectat, scilicet personae quae abeunt peregre, in aliam urbem, profectae sunt.

c) *Alio modo locus indicatur*:

illinc: Aul. 377. *illim*: Poen. 455. *inde*: Capt. 282. *unde*: Epid. 80. *a foro*: [Persa 453]. *de foro*: Men. 599. *hac urbe*: Merc. 654. *domo*: Amph. 503, Merc. 12, Stich. 29, Trin. 1010. Aul. 105: *ab domo. nequo longius ab aedibus*: Men. 327. *a legione*: Amph. 523. *agro*: Amph. 208. *a portu*: Merc. 223. *navi*: Merc. 110. In hoc exemplo

invenitur merus ablativus. Nonnullis locis occurrit *domo*, quod significat aus der Heimat, scilicet: peregre. Uno vero loco, Aul. 105, invenitur *ab domo* quam librorum scripturam iniuria mutavit Guietus qui *ab* delevit. Sed *domo abeundum est* significaret weil ich die Heimat verlassen muß. Certo vero consilio Plautus scripsit *a domo*, nam Euclio parvum etiam temporis spatium a domo abesse dubitat, quia furem argentum ablaturum esse veretur. *abire* ergo significat hoc loco sich von Hause entfernen. cf. Men. 327. Locus indicatur enuntiato relativo: Mil. 1312.

d) *Persona nominatur* a qua abit altera:

Capt. 487, Curc. 336, 349, Most. 131, Mil. 979, 1126, 1148, 1146 *(Athenas)*, 1343 (*quom abs te abeam* = da ich dich verlassen muß), Bacch. 1030, Amph. 606, Rud. 528, Asin. 604, Capt. 679, Mil. 970, Men. 723, 1044 (*quo volet*), Mil. 974 (*quo lubet*).

His locis quibus invenitur *abire ab aliqua persona* verbum abeundi notionem motus fere amisit atque idem significat ac relinquere verlassen. Men. 723 *abire* dicitur de uxore, Asin. 604 de infideli amatore.

2. Iam ea sequuntur exempla in quibus indicatur *quo* personae abeant:

domum: Mil. 655, Poen. 25, Rud. 812 (*qua*), Capt. 506. *foras*: Most. 879 [878], Poen. 1283, 1285, Most. 596 (*nequo*). Nomen proprium: Mil. 1193, Men. 1112 (*ad mercatum*), *in arcem*: Bacch. 900, e verbo *abiit* pendet infinitivus *visere*. *ad mare*: Rud. 898 (sup.). *ad amicam*: Men. 450. *illac per angiportum ad hortum*: Most. 1045 [44/45]. *ad legiones*: Amph. 737, 691. *ad forum*: Asin. 251, Men. 684. *ad praetorem*: Capt. 505. *rus*: Truc. 285, Merc. 656, 804. *alio*: Most. 989 (sup.).

Uno tantum loco verbum abeundi *merum motum* neglecta directione abeundi significat: Amph. 358: *auferere, non abibis.* Hic actio abeundi premitur, opponitur passivo *auferere* quod verbum hoc loco, ut ita dicam, pro passivo verbi abeundi ponitur.

Denique agendum est de verbi abeundi **usu translato**:

Subiectum non persona sed *res est*: Merc. 873: *sol.* Truc. 565: *hoc in mare.* Truc. 564: *aqua in mare.* Rud. 1243 (scil. praeda). Merc.

43: *res ad illam* (sup.). *salus*: Merc. 593 (sup.) et 594. Curc. 109: *hac* (scil. vinum).

Bis abire dictum est *de morte*: Poen. 71: *ad Acheruntem*. Cas. 19: *hinc in communem locum*. cf. Winand, de vocabulis quae ad mortem spectant, diss. Marb. 1906.

Ter cum verbo abeundi coniunctum est *pessum* atque his locis *abire pessum* dictum est de persona vel re quae in aqua natat quaeque aqua submergitur (Rud. 395 additur *in altum*): [Aul. 598 secl. Brixius], Rud. 395, Truc. 36.

Duobus locis *abire* usurpatur *de uxore quae coniugem reliquit*: Mil. 1165: *ex hoc matrimonio*. Stich. 142: *quo dedisti nuptum abire nolumus*.

De sermone verbum dicitur: Men. 56: *illuc redeo unde abii*. Hic v. in prologo Menaechmorum extat. Prologus ad spectatores loquitur ‚extra comoediam' (Euanthius, de com. p. 7, 3) atque v. 56 eo quo abierat (scilicet in oratione) redire vult. Abierat vero post v. 50, ad populum verba faciens atque quaerens, *siquis quid Epidamni curari sibi velit*. v. 57 Epidamnum, scilicet ad Epidamniensem redit.

Non multis locis verbum abeundi cum quibusdam vocabulis coniunctum *devotionem* continet; multo saepius verbum simplex ita usurpatur:

additur *dierectus, dierecta*: Merc. 756, Poen. 160, Most. 850 [849/50], Trin. 457. *hinc in malam crucem*: Most. 850 [49/50]. *hinc malam crucem*: Poen. 799. *intro — in crucem*: Persa 856. *in malam rem*: Persa 288, Capt. 877. *in malam rem maxumam a me*: Epid. 78. *in malum cruciatum ab aedibus*: Aul. 459.

Non raro in his exemplis additur indicatio loci unde abeatur, semel indicatur quo abeatur: Persa 856. Ter occurrit *hinc*, semel *a me*, semel *ab aedibus*. Ex eo quod tales indicationes loci adduntur facile inducaris, ut putes verbum abeundi vim genuinam non omnino amisisse, quae opinio eo quoque confirmari potest quod Persa 288 *Abi in malam rem*. || *At tu domum* in responsione Paegnii subaudiendum est *abi*, genuina quidem significatione. At hunc versum sermoni comoediae atque iocoso tribuendum esse puto a quo non alienus est talis usus, ut idem verbum eodem loco modo propria, modo translata significatione usurpetur; cf. Bacch. 902: *Abeo ad forum igitur*. || *Vel hercle in malam crucem* (cf. Birt, Hiat pg. 59).

Denique in universum verbi abeundi usum Plautinum breviter spectemus. Primum quidem tres attuli locos quibus *abire* referendum est ad motum in scaena ipsa. Tum vero permulta illa exempla congessi in quibus verbum significat abitum a scaena. Quod ad tempora attinet adnotandum est verbum compositum *abire* rarius inveniri sub forma futuri, perfecti autem formas saepius occurrere quam verbi simplicis. Praeterea commemorandum est primam personam non tantopere praevalere quantopere in verbi *ire* usu.

Satis multis quoque locis verbum abeundi in narratione est vel ad motum spectat qui non in scaena vel de scaena fit.

Uno loco meram notionem abeundi invenimus neglecta directione eundi.

Denique usum verbi abeundi significatione translata non tam frequentem esse quam verbi simplicis vidimus, quod ita declarandum est, ut compositum *abire* sit praegnantius quam simplex *ire* itaque ad usum translatum minus aptum.

exire.

Hoc verbo saepe **persona quae in scaenam venit inducitur.**

A. Et primum quidem *absolute* ponitur:

Amph. 955, Bacch. 583, Mil. 155, 1199, Truc. 320/21, Merc. 961, Asin. 151, Men. 180 [179/80], Mil. 1310, Poen. 203, Rud. 705, 1356.

Personae exeunt e domo quae in scaena est. Nonnullis additur locis *eccum, eccam, eccos*, quibus vocabulis persona digito monstratur. Mil. 1199 et Truc. 321 *exire* coniunctum est cum adiectivo *tristis* non cum adverbio et aspectus exeuntis describitur.

B. Iam sequuntur ea exempla quae *indicationem loci* praebent:

foras: Bacch. 234: *Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?* cf. fragm. Menandri nr. 860/61: *ἀλλ᾽ ἐψόφηκεν ἡ θύρα. τίς οὑξιών;* adde Men. 463, Trin. 401, Cas. 813, Amph. 497, Rud. 1209.

exire foras abundanter dictum est, satis erat *ire foras* vel *exire*, nam *exire* intellegimus: domo. Itaque non raro hoc verbum absolute usurpatur. Duobus locis quibus complures personae *foras exeunt*, Amph. 497 et Trin. 401, non invenitur pluralis verbi sed altera persona nominatur, altera additur adhibita particula *cum*.

Praeter *foras* additur *intus:* Cas. 350.

Solum *intus* bis additur: Asin. 585, Truc. 255.

hinc cum alia indicatione accuratiore: Merc. 699: *Sed quinam hinc a nobis exit? aperitur foris.* Adnotandum est quod actio posterior *(exit)* excipitur ab actione priore *(aperitur foris)*. Mil. 1136: *hinc e proxumo.*

Iam ea sequuntur exempla in quibus *exire* **egressum in scaenam** quidem significat sed non ad personam praenuntiandam usurpatur.

A. Et *absolute* quidem verbum exeundi tali significatione usurpatum est:

Praes.: Most. 683. Epid. 650, Bacch. 768, 932, Mil. 1242. Imperf.: Mil. 181. Futurum: Cist. 783, Pseud. 572, Rud. 1351, Truc. 198 [97]. Futurum exactum: Poen. 730. Imperativus: *exi:* Aul. 40 (bis), Capt. 977, Curc. 276 (ter), Persa 459, 725, Rud. 481. *exite:* Mil. 1338, Pseud. 133 (bis).

B. *Indicationes loci* inveniuntur:

Trium locorum qui sequuntur id proprium est, ut persona quaedam quae sola in scaena est ipsa *unde* vel *qua de causa* vel *quibus auspiciis* exierit proferat.

Epid. 183/84 [82]: *liquido exeo foras auspicio.* Cas. 855/6: *eximus intus ludos visere huc in viam nuptialis* (*viam* A, *via* P). A verbo *exire* pendet infinitivus. Pseud. 1282: *inde huc exii* (*e[xiv]i* A, *exi* P). Pseudolus iam in initio actus exierat.

Similis est locus qui sequitur:

Stich. 675 [74/75]: *mirum .. quid ego hinc quae illic habito exeam.* His verbis Stephanium spectatores adloquitur, declarat enim qua de causa non ex sua domo sed ex domo aliena exierit: *domo dudum huc arcessita sum ⟨nam⟩ quoniam nuntiatum est istarum venturos viros, ibi festinamus omnes.* Viros illos redituros esse in initio fabulae non iam notum erat, qua ex re effici potest Plautum finxisse Stephanium inter actus in domum illam unde exit intrasse, spectatores enim in hac fabula illo loco de quo agimus Stephanium primum conspiciunt.

Iam reliqua congeram exempla. Additur ‚*foras*' atque uno loco excepto, Men. 513, praeter ‚*foras*' *aliae indicationes loci*:

Men. 513 [512]. Stich. 743, Epid. 399, Merc. 911 *(huc)*. Most. 1 *(e culina)*. In initio totius fabulae persona quae prima prodit aliam personam exire iubet. Aul. 40, Most. 901 *(hinc)*. Mil. 537 *(ad te)*.

Most. 901 eo differt a similibus locis quos supra attuli, quod sic verba posita sunt *foras exit*, cum supra invenimus *exit foras*. Quae quidem singularis dispositio verborum eo declarari potest quod v. ille in cantico extat, est dimeter iambicus.

Quo personae exeant alio modo indicatur:

Ad personam exitur: Bacch. 794, 1052. ‚*huc*' ad personam: Cist. 782, Mil. 1069. *huc:* Most. 903, Mil. 1093, Rud. 1200.

Unde homines exeant dicitur:

hinc: Cas. 867, Mil. 416, 341 *(domi)*. Hic *domi* libri, *domo* Goetz. et Schoell., Leo, sed *domo* uno tantum loco additur ad *exire:* Aul. 178 *quom exibam domo,* ubi tamen *domo* significat von zu Hause, non aus dem Hause. Exspectamus l. l. *foras,* quod fortasse olim in libris fuit. In fine v. 342 enim legitur *serva istas fores.* Itaque fieri potuit ut illa vocabula quae in fine v. 341 et 342 Militis extabant *domi* et *fores* a librario commutata et traiecta sint, ut antea in v. 341 fuerit *foras,* in v. 342 vero *domi.* Hoc vero v. scribendum erat: *serva istam domi,* quod ad verba sequentia aptius esse mihi videtur, quippe in quibus subiectum quoque sit *illa* Philocomasium. Cf. praeterea Bacch. 747: *illum .. apud te vinctum adservato domi* et Ter. Eun. 780: *solus Sannio servat domi.*

domo: Aul. 178. *unde:* Mil. 376, Aul. 3, Bacch. 204. *huc intus:* Mil. 1197 (*huc* Luchsius, *hinc* B C, om. D). *e fano:* Rud. 706. *ex hisce aedibus:* Cist. 547. *e culina:* Most. 5. *a nobis:* Mil. 524. *intus:* Mil. 1169.

B. Iam sequuntur ea exempla quae *indicationem loci* praebent:

foras: Bacch. 234: *Sed foris concrepuit nostra: quinam exit foras?* cf. fragm. Menandri nr. 860/61: *ἀλλ' ἐψόφηκεν ἡ θύρα. τίς οὑξιών;* adde Men. 463, Trin. 401, Cas. 813, Amph. 497, Rud. 1209.

exire foras abundanter dictum est, satis erat *ire foras* vel *exire*, nam *exire* intellegimus: domo. Itaque non raro hoc verbum absolute usurpatur. Duobus locis quibus complures personae *foras exeunt*, Amph. 497 et Trin. 401, non invenitur pluralis verbi sed altera persona nominatur, altera additur adhibita particula *cum*.

Praeter *foras* additur *intus:* Cas. 350.

Solum *intus* bis additur: Asin. 585, Truc. 255.

hinc cum alia indicatione accuratiore: Merc. 699: *Sed quinam hinc a nobis exit? aperitur foris.* Adnotandum est quod actio posterior *(exit)* excipitur ab actione priore *(aperitur foris).* Mil. 1136: *hinc e proxumo.*

Iam ea sequuntur exempla in quibus *exire* **egressum in scaenam** quidem significat sed non ad personam praenuntiandam usurpatur.

A. Et *absolute* quidem verbum exeundi tali significatione usurpatum est:

Praes.: Most. 683. Epid. 650, Bacch. 768, 932, Mil. 1242. Imperf.: Mil. 181. Futurum: Cist. 783, Pseud. 572, Rud. 1351, Truc. 198 [97]. Futurum exactum: Poen. 730. Imperativus: *exi:* Aul. 40 (bis), Capt. 977, Curc. 276 (ter), Persa 459, 725, Rud. 481. *exite:* Mil. 1338, Pseud. 133 (bis).

B. *Indicationes loci* inveniuntur:

Trium locorum qui sequuntur id proprium est, ut persona quaedam quae sola in scaena est ipsa *unde* vel *qua de causa* vel *quibus auspiciis* exierit proferat.

Epid. 183/84 [82]: *liquido exeo foras auspicio.* Cas. 855/6: *eximus intus ludos visere huc in viam nuptialis* (*viam* A, *via* P). A verbo *exire* pendet infinitivus. Pseud. 1282: *inde huc exii* (*e[xiv]i* A, *exi* P). Pseudolus iam in initio actus exierat.

Similis est locus qui sequitur:

Stich. 675 [74/75]: *mirum .. quid ego hinc quae illic habito exeam.* His verbis Stephanium spectatores adloquitur, declarat enim qua de causa non ex sua domo sed ex domo aliena exierit: *domo dudum huc arcessita sum ⟨nam⟩ quoniam nuntiatum est istarum venturos viros, ibi festinamus omnes.* Viros illos redituros esse in initio fabulae non iam notum erat, qua ex re effici potest Plautum finxisse Stephanium inter actus in domum illam unde exit intrasse, spectatores enim in hac fabula illo loco de quo agimus Stephanium primum conspiciunt.

Iam reliqua congeram exempla. Additur ‚*foras*' atque uno loco excepto, Men. 513, praeter ‚*foras*' *aliae indicationes loci*:

Men. 513 [512]. Stich. 743, Epid. 399, Merc. 911 *(huc).* Most. 1 *(e culina).* In initio totius fabulae persona quae prima prodit aliam personam exire iubet. Aul. 40, Most. 901 *(hinc).* Mil. 537 *(ad te).*

Most. 901 eo differt a similibus locis quos supra attuli, quod sic verba posita sunt *foras exit,* cum supra invenimus *exit foras.* Quae quidem singularis dispositio verborum eo declarari potest quod v. ille in cantico extat, est dimeter iambicus.

Quo personae exeant alio modo indicatur:

Ad personam exitur: Bacch. 794, 1052. ‚*huc*' ad personam: Cist. 782, Mil. 1069. *huc:* Most. 903, Mil. 1093, Rud. 1200.

Unde homines exeant dicitur:

hinc: Cas. 867, Mil. 416, 341 *(domi).* Hic *domi* libri, *domo* Goetz. et Schoell., Leo, sed *domo* uno tantum loco additur ad *exire:* Aul. 178 *quom exibam domo,* ubi tamen *domo* significat von zu Hause, non aus dem Hause. Exspectamus l. l. *foras,* quod fortasse olim in libris fuit. In fine v. 342 enim legitur *serva istas fores.* Itaque fieri potuit ut illa vocabula quae in fine v. 341 et 342 Militis extabant *domi* et *fores* a librario commutata et traiecta sint, ut antea in v. 341 fuerit *foras,* in v. 342 vero *domi.* Hoc vero v. scribendum erat: *serva istam domi,* quod ad verba sequentia aptius esse mihi videtur, quippe in quibus subiectum quoque sit *illa* Philocomasium. Cf. praeterea Bacch. 747: *illum .. apud te vinctum adservato domi* et Ter. Eun. 780: *solus Sannio servat domi.*

domo: Aul. 178. *unde:* Mil. 376, Aul. 3, Bacch. 204. *huc intus:* Mil. 1197 (*huc* Luchsius, *hinc* B C, om. D). *e fano:* Rud. 706. *ex hisce aedibus:* Cist. 547. *e culina:* Most. 5. *a nobis:* Mil. 524. *intus:* Mil. 1169.

Omnibus locis quos adhuc attuli *exire* dicitur de exeunte in scaenam. Bacch. 794: *iam exeo ad te,* 1052: *exeo* ad tempus futurum spectat, idem igitur est atque *iam ego ad te exibo foras*: Mil. 537. Sed consilio poeta his locis tempus praesens adhibuit, nam utrobique persona quae exituram se esse dicit celerrime se redituram esse promittit et aliam personam manere iubet. Atque per tempus praesens iam illud momentum fingitur quo persona e domo exit.

Non multis locis *exire* **egressum non in scaenam sed alio faciendum** significat:

A. *Absolute* usurpatum verbum hac significatione semel reperitur:

Poen. 652: *adiit ad nos extemplo exiens.*

B. *Directio eundi indicatur*:

1. *quo exitur*: Amph. 223: *in medium.* Curc. 22: *ad me.* Duobus locis *exire foras* significat egressum non in scaenam, sed in universum e domo: Rud. 307, Stich. 459. Epid. 660: *istac per hortum.*

2. *unde exitur*: Bacch. 289: *portu.* Mil. 1432: *porta.* Pseud. 730: *ex aedibus* (Leo suspicatur *exivit aedibus,* sed formam *exivit* evitabat Plautus). Rud. 534: *ex aqua.* Amph. 533: *ex urbe.* Men. 1075, Poen. 651: *e navi.* Cas. 932: *inde.* Capt. 109: *unde.* Amph. 219: *utrimque.*

Restat, ut de Aul. 709 agamus: *inde ex eo loco video recipere se senem.* Sic libri. Quod falsum esse voluit Leo, mus. Rhen. vol. 38, pag. 17, non enim ex aliquo loco redire senem narrari a Strobilo, sed in locum quem modo reliquisset. *exeo ilico* Brixus, quod falsum est, nam *exire* de loco aperto non dicitur. *exilico* Leo, qui *inde exilico* coniungendum et de tempore intellegendum esse vult. Concedendum est Leoni senem non *ex illo loco* sed *in illum locum* redire. Itaque *exfodio aulam . . . inde ex eo loco* coniungendum et ante *video* pungendum est. Hiatum admissum videmus ante *inde, id* aliaque pronomina (Birt, Hiat pag. 332).

Unus iam locus addendus est quo *exire* dicitur **de motu in scaena ipsa**:

Cist. 700: *hinc illuc exiit.* Halisca in scaena vestigia persequitur, persona vero illa quam quaerit non a scaena abiit, nam post *hinc illuc exiit* sequitur *sed is hac abiit — hinc huc iit: hinc nusquam abiit* (702).

Exire hoc unico loco significat: decedere, scilicet de via. *illuc* in universum directionem significat: nach jener Richtung hin.

Denique agamus de verbi exeundi **usu translato.** Duo tantum illius usus inveni exempla:

Aul. 301: *De suo tigillo fumus siqua exit foras.* Non inepte cum hoc loco comparari posse puto fragm. Cratini (II, pag. 289): *καπνός τ' ἐξέρχεται εὐωδέστερος.* Merc. 40: *principio ⟨ut ex⟩ ephebis aetate exii.* codd.: *principio atque animus phoebus etate exiit:* corr. Muretus. *ut aetas ex ephebis exiit* post Dousam Ritschelius, quod tamen a librorum scriptura longius abest. Fortasse Ritschelius cogitavit de Bacch. 148: *iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.*

Breviter comprehendamus quae de verbi exeundi usu dicenda sunt.

Saepe hoc verbo personam in scaenam venientem induci vidimus quo etiam tertiam personam praevalere declaratur. Atque inter haec exempla compluries verbum absolute usurpatum occurrit. In universum autem rarius *exire* absolute usurpatur quam cum indicationibus loci. Non multis locis *exire* motum significat qui non in scaena vel de scaena fit, unum reperitur exemplum in quo *exire* dicitur de motu in scaena ipsa.

Denique raro tantum, duobus scilicet locis, *exire* genuinam significationem amisit.

Quod ad tempora attinet adnotandum est praesens praevalere quae res inde quoque explicatum habet, quod *exire* saepe ad personam pronuntiandam usurpatur.

prodire.

Hoc verbum eodem modo atque *exire* de egressu e domo usurpatur. At cum *exire* a vocali incipiat, fortasse

Plautus nonnumquam metri causa, ut hiatum evitaret, post vocalem in fine vocabulorum *prodire* praetulit. Praeterea certa a verbo exeundi significationis diversitas statuenda est de qua postea agetur.

Personae prodeuntes pronuntiantur:

Verbum *absolute* usurpatum est: Cas. 435: *Mei ... amici prodeunt.* Rud. 413: *ecquis prodit?*

Reliqua exempla in quibus *prodire* **de exeunte in scaenam** dicitur haec sunt:

a) *absolute*:

Cas. 806: *si qui citius prodeant. si qui [ci]tius prodeant* A, om. P. Mil. 1122: *ut ubi illaec prodeat me provoces.* Aul. 350: *prodi atque ostium aperi.* Amph. 93: *Praeterea certo prodit in tragoedia.* v. secl. Leo. Non de persona in hac fabula prodeunte sed in universum de prodeundo in actionibus scaenicis agitur, de Iove scilicet.

b) Tribus locis *unde (intus) vel quo* personae prodeant indicatur:

Cist. 639 [638]: *ut aliquis intus prodeat propere ocius.* Poen. 1118: *nuntiate ut prodeat foras.* Epid. 568: *istinc . . iube Telestidem huc prodire filiam ante aedis meam* (*huc* om. P).

Uno loco *prodire* significat personam **a scaena abire:** Men. 213: *nos prodimus ad forum.*

Prodire **non de egressu in scaenam** dicitur sed **in universum de prodeunte.** Hac significatione verbum non absolute usurpatum est:

Rud. 295: *ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum* (sup.). Persa 72: *ut aequa parti prodeant ad tris viros.* Stich. 614: *per hortum transibo, non prodibo in publicum.* Bacch. 1007: *pudet prodire me ad te in conspectum.* Haec in epistula extant. Most. 1155: *illum prodire pudet in conspectum tuom.* Men. 708: *non te pudet prodire in conspectum meum ... cum istoc ornatu?*

Uno loco **prodire dicitur** non de persona, sed **de re:** Cas. 9 (prol.): *novae quae prodeunt comoediae.*

Iam quae significationis diversitas sit inter *exire* et *prodire* spectemus. *exire* quidem significat herauskommen,

ad quod verbum indicationem loci addi exspectamus. Itaque aptum est illud verbum quo utatur persona quae ipsa se exire dicit (vide supra pag. 42 sq.). *prodire* vero significat hervortreten, quod verbum indicationem loci non flagitat. Praeterea ineptum erit aliquam personam dicere *prodeo.* Itaque huius verbi persona prima de egressu in scaenam non reperitur.

Ad has differentias id accedit, quod *prodire* motum solemniorem significare videtur itaque non de servis usurpatur.

Praeterea *prodire* nonnumquam intellegendum esse *ex occulto exire* Stich. 614, Bacch. 1007, Most. 1155 docent.

redire.

Persona quae in scaenam redit hoc verbo **antea spectatoribus pronuntiatur:**

Cas. 719 [13—19]: *redit eccum tandem opsonatu meus adiutor* (*redit* AB², *reddit* P). Most. 363: *eccum Tranio a portu redit.*

Huc non referendum est Capt. 1006: *erus alter eccum ex Alide rediit,* ubi persona iam in scaena erat. Itaque duobus tantum locis persona quae redit antea indicatur, atque illis locis persona ex urbe in scaenam redit, scilicet Cas. 719 a foro (opsonatu), Most. 363 a portu.

Nunc reliqua congeram exempla in quibus redire significat personam quandam **ex urbe, non peregre, redire.**

A. Et *absolute* quidem ita usurpatum est:

Men. 685: *nunc redeo,* scil. a foro. Merc. 963: *iam redeo,* scil. a patre. Persa 733: *redeo.* Dordalus e domo rursum exit quo abiit post v. 723. Stich. 523: *iam redeo.* Epignomus secum ipso loquitur, atque nunc demum se peregre (scil. a mari) redire illum dicere putaveris si verba quae sequuntur conferas *nimiast voluptas, ubi diu afueris domo, domum ubi redieris* e. q. s. Quod tamen ineptum erit, cum Epignomus iam toto in act. III. in scaena fuerit. Ex urbe igitur vel e

domo redit, unde veniat non dici potest. Scaenam reliquit post v. 496, quo loco nihil protulit de causa vel directione abeundi. Pseud. 647: *at ego, quando eum esse censebo domi, rediero.* Futuro exacto iam illud momentum ubi rediit praesentatur, rediero significat ich werde wieder zur Stelle sein. Asin. 395: *conveni, sed post non redit?* Imperativus *redi:* Men. 225, Mil. 864, Pseud. 561, Trin. 1108, Stich. 154, Truc. 209 [208]. His locis persona properare atque cito redire iubetur.

Merc. 963 *iam redeo* tempus praesens eodem modo usurpatum est quo Bacch. 794 et 1052 *iam exeo* scilicet ad actionem futuram spectat, Stich. 523 vero eadem vocabula ad actionem praesentem referenda sunt, priore loco *iam* significat sogleich, bald, posteriore vero soeben, gerade.

B. Sequuntur ea exempla quae *indicationem loci* praebent:

1. *Unde* redeat persona additur:

Personae quae ex urbe in scaenam redeunt omnibus fere locis a foro veniunt, scilicet eae quoque quae *opsonatu* redeunt.

Capt. 490: *nunc redeo inde,* scil. a foro, 478. *redeo* significat ich bin auf dem Rückweg. Adde Men. 288, 277: *opsonatu.* Pseud. 1028, Aul. 356: *a foro.* Merc. 596: *a portu.* Poen. 405: *ab re divina.*

2. Locus *quo* redeatur indicatur:

Tribus locis invenitur *domum* quod significat nach Hause, scil. ex urbe. Saepius invenitur *huc* quod omnibus locis ad scaenam referendum est, non ad urbem in qua actionem fieri poeta voluit. Bis aliae indicationes adduntur:

Aul. 209: *redeo ad te.* Persona e domo exiens loquitur. Verba illa significant da bin ich wieder. Men. 635: *redeo nunc demum domum,* significat ich komme eben erst zurück. Adde Men. 704, Stich. 65: *domum. huc:* Rud. 879, 858, Amph. 969, Asin. 685, Most. 579 (*h*]*uc* AB², *hunc* P), Capt. 497 *huc ad senem ad cenam asperam.*

3. Et *unde* et *quo* redeat persona dicitur:

Cas. 591: *Viso huc, amator si a foro rediit domum.*

Iam nonnulla addam exempla quae quidem eis quae adhuc attuli similia sunt sed proprium aliquid habent.

Sex locis extat imperativus *redi* absolute usurpatus, qui significat: noli abire, mane:

Curc. 113ᵃ [114]: *redi et respice ad me.* Persona quae redire iubetur v. 109 dixerat *sed hac abiit, hac persequar.* Pseud. 244: *redi et respice ad nos.* (v. 241: *heus, abit . . quin revocas?*) Men. 697: *mane, redi, etiamne astas?* sequitur: *abiit intro.* Aul. 415: *redi, quo fugis nunc?* 444: *quo abis? redi rursum.* Pseud. 1326: *redi.* || *quid redeam?* || *redi modo.* || 1327: *redeo.*

Horum sex locorum id proprium est personam quae redire iubetur a scaena abituram esse. Quod quidem quinque prioribus locis facile intellegitur propter continuationem: Curc. 113ᵃ persona illa ipsa brevi ante se abituram esse dixerat, Pseud. 244 antea, Men. 697 vero postea alia persona illam abire dicit, Aul. 415 et 444 ex verbis personae quae redire iubet elucet personam abeuntem revocari. Itaque similiter Pseud. 1326/27 intellegendum est. Simo postquam Pseudolo argentum tradidit, domum rursum abire vult post illa verba *age sane* (1326), Pseudolus vero abiturum revocat, qui etiam bis revocatus redit ad Pseudolum. — Uno loco, Men. 697, persona quae revocatur non redit, sed intro abit.

Eadem significatione invenitur enuntiatum interrogativum:

Truc. 755: *redin an non redis?* Astaphium abire voluisse versus seqq. docent.

Ad haec exempla prope accedunt ea in quibus *redire* dicitur de persona quae **ab alia parte scaenae ad aliam partem** redit. Tali significatione verbum non absolute usurpatum est, semper additur persona:

Mil. 1020: *iam ad te redeo.* Pseud. 1157: *iam redeo ad te,* redeo = redibo. — In exemplis quae sequuntur *redeo* merum praesens est: Mil. 1025, Trin. 562: *redeo ad te.* Persa 659: *ad hunc redeo.*

Turbas facit Most. 741 [721ᵃ]: *ad me redi. Iam isti ero.* Hic v. in illa scaena non tolerabilis est. V. transposuit Cam. Theopropides Tranionem adloquitur quem tamen e Theopropidis conspectu abiisse post v. 683 docet v. 785, quo loco Theopr. e Tranione quaerit *unde is?*

Iam ea congeram exempla in quibus *redire* dicitur **de persona quae peregre revenit.** Talibus enim locis dubitari potest volueritne poeta personam illam in scaenam

redire, h. e. ita ut spectatores illam redeuntem videant. Nonnullis sane locis personae quae peregre redeunt in scaenam quoque redeunt.

A. Et *absolute* quidem ita verbum redeundi usurpatur:

Trin. 1182: *bene re gesta salvos redeo* (1178: *tuom patrem rediisse salvom* p e r e g r e *gaudeo).* Adde Amph. 530, Capt. 683, 448, Most. 80/81, Stich. 33, Bacch. 178, Trin. 618.

B. Sequuntur ea exempla quae *indicationes loci* praebent. Et primum quidem ea afferam

1. in quibus dicitur *unde* redeatur:

Trin. 937: *unde.* Merc. 947: *ex exilio.* Capt. 1006: *ex Alide.* Curc. 225: *Caria.* Merc. 705, 807, 810, 586, Truc. 670: *rure.* Trin. 1178: *peregre.*

2. *Quo* redeat persona additur:

Quattuor locis *huc* significat in hanc urbem: Capt. 339, 353 (scil. ex Alide), Persa 787 (in Persia Toxili erum versari putat Dordalus, peregre illum esse Toxilus v. 29 praedicat), Most. 78 (v. 25: *quom peregre hinc it*).

Tribus locis reperitur *domum* quod idem significat atque in patriam, in die Heimat (vide Stich. 506/7): Amph. 948, Stich. 672 [671], 506/7 *(in patriam domum).*

Semel invenitur *in urbem,* non *huc,* Cas. 65 (prol.): *is hodie in hac comoedia in urbem non redibit: Plautus noluit.*

3. Uno loco indicatur et *unde* et *quo* redeatur:

Stich. 585: *peregre in patriam.*

Omnium quae adhuc congessi exemplorum id peculiare est, ut *redire* significet r e v e n i r e, scilicet motum ad aliquem locum, vel ad scaenam ipsam, vel in urbem in qua fabulam agi poeta fingit, scilicet reditum peregre. Iam vero ad aliam transeundum est significationem, scilicet ad ea exempla in quibus *redire* indicat aliquam personam **a scaena abire et aliquo redire.** Talibus in exemplis verbum redeundi absolute usurpatum non occurrit. *Indicationes loci* adiunguntur:

domum: Cas. 555/6 [552], Rud. 904, Merc. 560, Pseud. 1233 [1234], Amph. 584 [584 b], Merc. 746.

Concedendum est non omnibus locis notionem abeundi a scaena premi, ut exempla afferam Cas. 955/6, Amph. 584, Merc. 746 quibus locis cum notione abeundi coniuncta est notio adveniendi, domi nempe, i. e. locus qui non in scaena est.

intro: Cist. 704, Merc. 557, Aul. 208, 81, Cas. 706, 998 *(huc).*

Ei loci quibus invenitur *intro* similiter sese habent atque ei quibus invenimus *domum.* Nam non negandum est Merc. 557 magis premi notionem adveniendi intro, quod ex eo quoque effici potest, quod usurpatum est fut. exact., persona enim quae loquitur iam illud momentum animo repraesentat, quo intro advenit.

Aliae indicationes inveniuntur:

Epid. 381: *in castra.* Verba illa e sermone militari sumpta neque exacte accipienda sunt. Mil. 592: *in senatum.* Etiam hoc non proprie accipiendum est ut docent v. qui sequuntur, sed intellegendum est: ad consulendum. Cas. 965: *in cubiculum.* Amph. 664: *ad navem.*

In eis exemplis quae modo attuli redire significat *abire a scaena,* personae enim in domum vel in urbem redeunt. Nunc vero pauca addam, in quibus aliqua **persona ex urbe peregre abit:**

Men. 1152: *in patriam.* Men. 248: *hinc domum. hinc* significat: ex hac urbe, *domum:* in patriam. Amph. 527: *illuc* scil. ad legionem.

Restat, ut ea exhibeam exempla in quibus **verbum redeundi ad scaenam vel ad urbem in qua fabula agitur non referendum est.**

A. *Absolute* usurpatum est tribus locis, qui quidem in narratione sunt: Poen. 1284, Epid. 356, Trin. 774.

B. Adduntur vocabula quibus *directio* redeundi *illustratur:*

Personae quae *domum* redeunt neque a scaena abeunt neque in scaenam veniunt: Cist. 90, Rud. 302 (v. in piscatorum cantico extat atque rem usitatam significat), Stich. 524, Asin. 897 [903]. Most. 485 *(a cena),* Cist. 102 *(ad se).*

Ad quam personam redeatur nonnullis locis indicatur: Merc. 496: *ad me.* Cist. 528: *ad hunc.* Rud. 1018: *ad arbitrum.* E sermone iudiciorum sumptum esse videtur. Capt. 411: *ad parentes.* Poen. 1276: *ad me in potestatem meam.*

Semel occurrit *istoc:* Persa 504 (in epistula).

Bis indicatur *unde* redierit aliquis: Epid. 416: *Thebis.* Most. 485: *a cena domum.*

Denique de verbi redeundi **usu translato** agendum est. Atque singula exempla breviter enumerabo:

in gratiam redire: Amph. 940, 1142. *in concordiam:* Amph. 962. *in memoriam:* [Capt. 1022] 1016—22 om. A, 1022 dittogr. ortus est e v. 1023 (Brixius). *veram in viam:* Cas. 369. *in rectam semitam:* Cas. 469.

Redire dicitur de eo qui in narratione aberravit: Poen. 1061: *sed mitto de illoc: ad te redeo.* Men. 56: *verum illuc redeo unde abii.* 616 [617]: *illuc redi.* 617 [618]: *quo ego redeam?* (sic B², *egredeam* P). Cist. 722: *nunc ad te redeo* (719 *alias res geris*). v. 708—22 secl. Bothius. Men. 49 (prol.): *nunc in Epidamnum pedibus redeundum est mihi.* Prologus hoc versu sequentibusque iocatur, non re vera Epidamnum rediturus est.

Subiectum non persona sed *res* est: Merc. 530, Truc. 367: *animus.* (cf. Epid. 569: *remigrat animus nunc demum mihi.*) Trin. 530: *minus redit quam obseveris.* Truc. 25: *quam penes amantum summa summarum redit* scil. Venerem. Capt. 86: *quando res redierunt.* Cas. 336: *quom ad deos minoris redierit regnum tuom.* Merc. 592: *salutem amisi: redeat an non nescio.* Men. 37 (prol.): *postquam de ea re rediit nuntius ad avom.* Exspectaverim: venit.

adire.

Proprium aliquid actionum scaenicarum quod etiam in fabulis nostrae aetatis non raro occurrit cuique semper veridissimile aliquid adhaeret, persaepe in fabulis Plautinis invenitur, scilicet singulas vel complures personas ita in scaena loqui poetam fingere ut illae inter se neque conspiciant neque audiant. Tum vero subito una earum conspecta altera ad eam se accessuram esse pronuntiat. Talibus imprimis locis usurpatur *adire.*

A. *absolute:*

p r a e s. c o n i.: Aul. 730: *abeam an maneam, an adeam, an fugiam.* Cist. 320 [321]: *quid si adeam atque appellem?* Adde Epid. 543, Curc. 303, Poen. 330, Asin. 448, Merc. 712. In his exemplis persona deliberat an aliam personam quae etiam in scaena versatur adeat necne.

Iussum continent haec exempla: Men. 909: *adeas velim.* Mil. 1037: *adeat.* Mil. 420: *adeamus, appellemus.* Poen. 582: *adeamus propius.* Adverbium *propius* praeter hunc locum semel tantum, Rud. 831, cum verbo adeundi coniungitur. Et Agorastocles quamquam *propius* adire iubet advocatos, statim post iussum illud personam ad quam *propius* adiri iussit adloquitur. Hic locus postea quoque commemorandus erit.

F u t u r u m occurrit atque uno loco, Most 564, ubi extat 3. persona, excepto omnibus locis 1. pers.:

Capt. 616, Curc. 113ᵃ [114]. Mil. 1242: *adibon?* Leo iniuria suspicatur *adbitone?*. Rud. 309 (*adito* libri), Men. 707, Bacch. 978, Men. 277, 465, Bacch. 535 *(contra).* Most. 564.

I m p e r a t i v u s. Quattuor locis quibus invenitur imperativus verbi adeundi, illum imperativum sequitur alter imperativus. Atque ubique extat forma *adi* quae significat *geh hin,* scilicet persona quae iubet illam quacum loquitur ut *ad aliam* adeat impellit:

Capt. 540: *adi atque adloquere.* Mil. 1266: *adi, obsecro, et congredere.* Persa 600: *adi sis tute atque . . . roga.* Poen. 992: *adi atque appella.*

Eis vero locis qui sequuntur persona ipsa *ad se* adire iubet aliam atque *adi* significat *komm her:*

Mil. 1037: *siquid vis, adi, mulier.* Persa 310: *adito.* Persa 791: *adi, si lubet.* Rud. 242: *accede ad me atque adi contra.*

I n f i n i t i v u s motum in scaena ipsa indicat: bis *adire* certo significat herangehen, persona enim quae aditura est ipsa loquitur: Men. 1091, Most. 566.

Eodem modo usurpatum est g e r u n d i u m: Trin. 432: *tempust adeundi.*

Ceterum extat inf. abs. usurpatus: Mil. 1034, 1268, Persa 789/90: *iube adire.*

Restat ut de Persa 469 agam. 467: *age illuc abscede procul e conspectu et tace.* 468: *ubi cum lenone me videbis conloqui.* 469: *id erit adeundi tempus. nunc agite ite vos.*

Ussingius v. 467 et 468 hoc loco ineptos iudicavit, redeunt v. 727 et 728. Leo eos substitutos esse dixit ‚aliis quibus dixit Toxilus post epistulam perlectam et rem lenoni expositam adeundi tempus fore'. Immo vero in eis versibus qui antea hoc loco erant Toxilus certo Sagaristionem cum virgine abscedere iusserat, scilicet dum Dord. et Tox. colloquuntur illi in occulto remanent, sed v. 543 adeunt ad Dord. et Tox. Ergo verbum adeundi v. 469 ad motum in scaena ipsa faciendum referendum est.

His igitur locis et non paucis quidem verbum adeundi *absolute* usurpatum est et significat **motum qui ab altera parte scaenae ad alteram partem fit.**

B. Iam ea exempla congeram in quibus indicatur *quo adeant personae,* quod plerumque ita fit, ut persona nominetur ad quam adeatur.

1. Et primum quidem persona illa additur adhibito *mero accusativo:*

hunc: Bacch. 241, Capt. 612, Truc. 824. *eum:* Men. 360. *eumpse:* Persa 603. Poen. 982: *adibo hosce atque appellabo Punice.* ⟨*ad*⟩ *hosce* Cam., quod defendit Langenus, symb. p. 101 seq., de qua quaestione postea agetur. Poen. 1304: *hanc amatricem Africam* (*hanc ad* P). 841: *et adire lubet hominem et autem nimis eum ausculto lubens.* Trin. 1041: *lubet adire atque appellare hunc: verum ausculto perlubens.* *hunc* et cum *adire* et cum *appellare* coniungendum.

Poen. 841 et Trin. 1041 versus ipsi atque scaenae illae in quibus versus extant simillimae sunt. Utrobique enim persona cui *adire lubet* non adit sed ex occulto auscultat. Postea vero, cum illa persona ad quam adire alteri lubuit domum itura est (Poen. 851: *nunc domum ibo,* Trin. 1059: *eo domum*) revocatur ab ea persona quae antea in occulto remanserat.

Duo exempla hic affero in quibus verbum adeundi transitive usurpatum est, eodem modo quo in eis exemplis quae merum accusativum praebent:

Rud. 1298: *adeundus mihi illic est homo.* Labrax adit v. 1303. Truc. 895: *adeundae haec mihi* (*adeunda est haec* libri).

Undecim locis verbum adeundi sequitur merus accusativus, septem enim merum pronomen, tribus pronomen cum substantivo (Capt. 612, Poen. 1304, Rud. 1298), uno tantum loco merum substantivum.

2. Aliis locis invenitur *adire ad aliquem.* Semel invenitur tertia persona sing. praes. et persona cui illa verba tribuenda sunt aliam ad se adire dicit:

Pseud. 966: *ad me adit recta.*

In maiore parte exemplorum invenitur *ad hominem,* bis (praeter Pseud. 966) *ad* coniunctum cum pronomine:

ad hominem: Truc. 502, Men. 486, Stich. 237, Bacch. 773. *ad illas propius:* Rud. 831. Truc. 891: † *sineum ipse adire, ut cupit ad me ad recta si tenent.* Corruptissimus locus; certe *eumpse adire* scribendum est.

De ea quaestione quae significationis diversitas extet inter illas constructiones *adire aliquem* et *adire ad aliquem* egit Langenus, symb. p. 101, quo loco, cum antea de constructione verbi *aggredi* egit, haec dicit: »Bei ‚adire' wird zwischen den Objekten kein Unterschied gemacht, sondern es kommt meistens auf die subjektive Auffassung an, ob durch die Konstruktion mit der Präposition das Herangehen oder durch die transitive Kraft des Verbums das Anreden, Anflehen, Unterhandeln hervorgehoben werden soll.«

Verbum adeundi coniunctum cum mero accus. ad significationem *adloqui* propius accedere negari non potest, scilicet eis locis quibus persona aditur. De eis vero exemplis in quibus locus non persona indicatur postea agetur.

Concedendum est Langeno obiecta illa ipsa non eodem modo atque ad verbi aggrediendi constructionem conferre

ad constructionem verbi adeundi, scilicet ut substantivum mero accus. ponatur, pronomen vero praemittatur iniuncta praepositione *ad*. Verbum adeundi enim cum substantivo coniunctum et transitive et intransitive usurpatur, de pronominibus vero adnotandum est pronomen personale quidem, ubi aliquis qui in scaena est ad alium in scaena ipsa accedit, mero accus. non adhiberi, contra demonstrativum *hunc* vel *hos* et *istam* (Asin. 141, quo tamen loco persona *ista* non in scaena est) semper mero accus. adiungi verbo adeundi, eis quoque locis quibus non in scaena aditur. Exceptio Rud. 831 invenitur *ad illas propius*, ubi propter illud *propius* poeta abundanter dixit *ad illas*.

Ergo Poen. 982 (pag. 54) non supplendum est ⟨*ad*⟩ *hosce*. Et Truc. 824 *ut hunc adeam* recte sese habet. Langenus exspectat *ad hunc*, quod tamen metro repugnare ipse dicit.

3. Sequuntur ea exempla in quibus non ad personam sed *ad rem adeunt* homines. In his exemplis non occurrit substantivum quod adhibito mero accus. addatur:

ad fores: Curc. 145, Bacch. 578. *huc*: Truc. 620, 890.

Omnibus quos adhuc attuli locis verbum adeundi usurpatur ad significandum motum in scaena.

Nunc de eis exemplis agam in quibus verbum adeundi **non ad scaenam referendum est.**

A. *absolute:*

Aul. 116, Cas. 696, Epid. 163, Poen. 373, Pseud. 922, Stich. 202, Mil. 1117, 1224, 1226.

Ad versus e Mil. allatos quadrat quod Donatus adnotat ad Ter. Andr. 534 ‚adierunt' non ‚accesserunt' quia aditus arduus difficilisque est.

B. *Non absolute:*

1. Quam *ad personam* adeant homines indicatur *mero accusativo*:

Asin. 150, Bacch. 617: *quem*. Cist. 33: *eas*. Mil. 1225: *eum*. Aul. 815: *eampse anum*. Asin. 141: *istam*. Amph. 453: *hanc nostram*.

Asin. 82, Most. 1155 [54/55]: *me*. Mil. 1222: *te*. Bacch. 442: *patrem* (sup.). Trin. 749: *Lesbonicum*. Trin. 736: *Philtonem*. Asin. 247: *indignos*.

2. *Persona* additur adhibita *praepositione ‚ad'*:

ad nos: Poen. 652. *ad me*: Curc. 262 (somnium). *huc ad me*: Aul. 746 (hoc loco *adire ad me* idem fere significat quod *prodire in conspectum meum*). *prope ad se*: Cas. 663. *ad mulierem*: Cas. 41.

De significationis differentia constructionis transitivae atque intransitivae cf. supra pag. 55 seq. Liceat afferre quid iudicaverit Donatus de hac quaestione ad Andriae v. 315: ‚adeon ad eum || consuetudine magis quam ratione dicitur, unum enim abundat'. Praeter eas differentias constructionum quas supra exposui statuendum est constructione *adire ad aliquem* spatium certius indicari quod interest inter personas quae adeunt.

Duo restant exempla, in quibus quidem *adire* motum significat, sed praegnantem significationem habet.

Asin. 722: *ad me adi vicissim*. Libanus qui adloquitur Argyrippum ab illo, quocum iam antea collocutus erat, non abscesserat omnino, sed Argyrippus cum Leonida verba fecerat et v. 722 a Libano *ad se adire* iubetur h. e. secum *denuo loqui*. Illud *ad me adi* respondet illi *me adgredere* v. 714, itaque fortasse scribendum est *at me adi*, quod opponatur illi *me adgredere*. cf. verbi redeundi usum translatum. Epid. 571: *ut matrem tuam videas, adeas*. *adire* verti potest begrüßen.

3. Ad verbum adeundi quod ad scaenam non spectat additur *locus quo eatur*:

Aul. 102: *ad aedis*. Merc. 132: *ad ostium*. Trin. 931: *quos locos adisti?* Hoc unico exemplo ad verbum adeundi additur *locus* usurpato mero accusat. *Adire* significat bereisen, besuchen.

Iam in eis quae supra attuli non raro significationem eundi satis neglectam esse concedendum est, ubique enim fere ad significationem eundi accedit notio alloquendi. Exceptiones affero Curc. 264 (somnium) Cas. 663 (prope).

Nunc vero ea afferam exempla in quibus verbum **significationem eundi omnino amisit:**

adire manum: Poen. 457, 462, Cas. 935. *mecum adire ad pactionem*: Aul. 202. *adire blandis verbis*: Pseud. 450.

Si verbi adeundi usum in fine perlustramus, illud verbum semper fere motum qui certo consilio, colloquendi scilicet, fit significare, raro tantum merum motum indicare videmus.

transire.

Hoc verbum sine indicatione loci usurpatum non est.

Quo personae transeant indicatur:

Stich. 535: *continuo ad te transeo* (solus habet A). (v. 534: *deos salutatum atque uxorem modo intro devortor domum.*) Stich. 623: *deos salutabo modo: poste ad te continuo transeo.* Mil. 1089: *Philocomasio dic, si est hic, domum ut transeat* (*hic* libri, *istic* Brixius). Epid. 658: *ego ad vos Thesprionem iussero huc transire.* v. 660: *exi istac per hortum!* Mil. 182: *iube transire huc quantum possit, se ut videant domi familiaris. Huc* i. e. in domum militis. Philocomasium ita transit, ut a spectatoribus conspici non possit, neque prodit in publicum. Mil. 256: *intro abi ergo et si istist mulier eam iube cito domum transire* (*transiret* corr. B²D). Idem hoc v. monet Palaestrio quod v. 182.

In his exemplis una tantum loci indicatio extat, vel persona nominatur ad quam transeatur, vel additur *huc* vel *domum*.

Via tantum qua transeant homines in hoc exemplo indicatur:

Stich. 614: *per hortum transibo, non prodibo in publicum.*

Complures indicationes loci inveniuntur:

Mil. 869: *dum ab se huc transiret.* 329: *nil est qua hinc huc transire ea possit nisi recto ostio.* 377: *nimis mirumst facinus quo modo haec hinc huc transire potuit.* 418: *sed facinus mirumst, quo modo haec hinc huc transire potuit* (*nunc transire potuerit* libri, corr. Ritschelius). Cas. 145: *ego huc transeo in proxumum ad meam vicinam.* (161: *nunc huc meas fortunas eo questum ad vicinam*). Cas. 614: *ego iam per hortum iussero meam istuc transire uxorem ad uxorem tuam.* Persa 445: *eadem istaec facito mulier ad me transeat per hortum.* Merc. 1008 [1009]: *illac per hortum nos domum transibimus.* Stich. 437: *iam ego per hortum ad amicam transibo meam.*

Omnibus in exemplis quae attuli **transire significat aliquam personam ab altera domo quae in scaena est ad alteram transire.** Atque uno tantum loco persona quae transit in conspectum aliarum personarum quae in scaena sunt et spectatorum prodit, Cas. 145 (cf. v. 161), omnium vero reliquorum id proprium est, ut persona clam transeat, ita ut neque ab eis quae in scaena sunt neque a spectatoribus conspici possit. Saepe enim homines aliquo abeunt atque ex illo demum loco quo eunt se aliquo transituros esse profitentur, ut exempla afferam Stich. 535, 623, alibi vero *per hortum* transeunt, quod quidem significare: non in publicum, docet Stich. 614, praeterea Epid. 658 et 660.

Denique omnibus locis Militis gloriosi quos attuli Philocomasium non in publicum prodit, cum transit, sed clam per parietem perfossum e domo militis ad Periplectomeni domum transit (cf. v. 142/3 et 150/1).

Duobus qui sequuntur locis *transire* motum quidem significat, sed **motus** ille **ad scaenam referendus non est**:

Bacch. 85: *rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest.* Curc. 682: *decem minas dum solvit, omnis mensas transiit.*

Denique duobus locis verbum transeundi **translate** usurpatum est:

Pseud. 1027: *metuo, ne deserat med atque ad hostis transeat* (*transeant* libri). Persa 823: *di faciant, ut id bibatis, quod vos numquam transeat.*

praeterire.

a) ad scaenam spectat.

Hoc verbum *absolute* usurpatum est:

Stich. 686: *quisquis praetereat, comissatum volo vocari.*

Qua via praetereant homines *indicatur:*

Merc. 1006: *arbitri ut sint, qui praetereant per vias.* Cist. 683: *nam si nemo hac praeteriit* (*praeteriit hac* Fleckeisenus, *praeter iit* Leo).

Uno loco *persona indicatur* quam praeterit alia:

Aul. 473: *sed Megadorus meus affinis eccum incedit a foro.* 474: *iam hunc non ausim praeterire quin consistam et conloquar.*

b) **Verbum ad alium locum referendum est:**

Rud. 306: *animum advorsavi sedulo, ne erum usquam praeterirem.* Hoc loco *praeterire* significat vorbeigehen verfehlen. Capt. 808: *quarum odore praeterire nemo pistrinum potest.*

c) *Praeterire* **translate** usurpatum est:

Ter *praeterire* significat übergehen, nicht berücksichtigen: Trin. 1036: *strenuosos praeterire more fit* (*strenuos* libri, *strenuosos* Loewe). Merc. 403: *quod praeterii dicere.* Rud. 113: *quem ero praesente † praetereat oratio.* Duobus locis *praeterire* dicitur de tempore: Merc. 227: *nocte hac quae praeteriit proxuma.* Persa 402: *quod si non dederit atque hic dies praeterierit.*

Verbum **introire** bis invenitur:

Men. 662: *domum nunquam introibis.* Trin. 10: *sed ea huc quid introierit impulsu meo, accipite.*

Verbum **circumire** ter occurrit:

Rud. 140: *heus tu qui fana ventri causa circumis.* Haec verba ad *βωμολόχον* figuram spectant. Asin. 742: *angiporto illac per hortum circumit clam, nequis se videret huc ire* (*circumit* B, *circum it* DE, *circum iit* Leo, ut perf. contractum tolleret, suspicor). Exspectaveris *transiit.* Curc. 451: *ita non potuere uno anno circumirier.*

Semel tantum occurrit **subire:**

Most. 357: *qui hosticas trium nummum causa subeunt sub falas* (*hastis* libri, corr. Ritsch. *falsa* libri, corr. Cam.).

Verbum **inire** uno tantum loco *motum* indicat:

Truc. 37: *si inierit rete piscis, ne effugiat cavet* (*siniecit* B, *sinietit* CD, corr. Buechelerus).

*Translat*e hoc verbum usurpatum est:

inire gratiam: Cist. 736, 628, Curc. 405, Epid. 441, Trin. 376, Cist. 7, Stich. 514. *consilium inire:* Capt. 493, Pseud. 543[a]. De tempore

hoc verbum usurpatur: Trin. 301: *ab ineunte adulescentia.* 305: *ab ineunte aetate.*

Haec composita verbi eundi: *ambire, anteire, perire, deperire, disperire, interire, venire, obire* nisi translate non usurpata sunt, quibus de verbis hic non agendum est.

Restat, ut nonnullos locos congeram quibus inveniuntur formae quae pro verbo eundi eiusque compositis usurpantur, scilicet **baeto eiusque composita:**

Curc. 141: *si illa ad me bitet.* Merc. 465: *ad portum ne bitas dico iam tibi* (*vitas* B, *bites* CD). Pseud. 254: *licetne, obsecro, bitere* (*vivere* libri, corr. Lipsius). Mil. 997: *domo si bitat, dum huc transbitat, quae huius cupiens corporist.* Epid. 304: *ne abitas, prius quam . . venero* (*abeas* FZ). Rud. 777: *nequo abitat* (*quo* om. A, *habitat* AB). Truc. 96: *nequis adventor gravior abaetat* (*abeat* CD, Priscianus *abaetat* B). Capt. 409: *si hinc rebito.* 380: *si non rebitas* (*redeas* B²). 696: *si ille huc rebitet* (*redibit et* libri, *rebitet* quidam apud Pareum). 747: *si huc rebitet Philocrates* (*rubitet* VE). Capt. 604: *si adbites propius.* Epid. 145: *meam domum ne inbitas.* Stich. 608: *suades ne ebitat* (*ne nebitat* A). Epid. 437: *cave praeterbitas ullas aedis.* Poen. 1162/63: *ne intervias praeterbitamus metuo* (*praeterbita* B, *praebiterta* CD). Most. 1096: *ne interbitat quaestio.* Pseud. 778: *eum cras cruciatu maximo perbitere.* Rud. 495: *utinam malo cruciatu in Sicilia perbiteres.*

De formis ipsis cf. Non. p. 77 *betere* (Bamb.: *baetere*) *id est ire.* — Corp. gl. lat. II, 255, 26 *βαίνω bet[e]o ingredior.*

Si haec exempla perspectamus *betere* atque composita eius in enuntiatis secundariis tantum vel in enuntiatis prohibitivis usurpata esse videmus. Hoc verbum omnino raro usurpatum in apparatu scaenico quem dicimus vel in eis verbis quibus motus in scaena indicantur locum non habet.

venire.

Hoc verbo saepe **personam** quae in scaenam prodit **praemonstrari** putaveris propter significationem ipsam illius

verbi. At perpaucis locis tali modo *venire* usurpari dicendum est conferenti quam saepe hoc verbum in universum occurrat. Haec tantum inveni exempla:

A. absolute:

Bacch. 844: *per tempus hic venit miles mihi.* Miles ille, de quo agit Chrysalus, in scaenam veniens iam v. 842 et 843 verba fecit, v. 844 a Chrysalo conspicitur, non re vera igitur praemonstratur spectatoribus a Chrysalo.

Initium huius fabulae periit. Scaenas illas quae non servatae sunt restituere conati sunt Ritschelius, opusc. II pag. 322 seq. et Ribbeckius, mus. Rhen. 42, 111 seq. Ritschelius militem iam in initio fabulae in scaenam prodiisse contendit, quam sententiam eo confirmari puto quod in personarum indice ‚miles Cleomachus' quarto extat loco, praecedit autem Lydum. Grammaticus igitur ille qui composuit indicem personarum in suo exemplari militem in initio fabulae prodire legebat. Ussingius edit. pag. 372 ‚militis in principio fabulae nullas partes fuisse' voluit. Eandem sententiam defendit Ribbeckius l. c. iniuria, nam Bacchides illae sorores iam in initio eius partis fabulae quae nobis servata est identidem militem venturum esse memorant: v. 47: *iam hic credo aderit,* 58: *miles quom veniat,* 61: *ille adveniens,* 76: *miles quom huc adveniat,* 222: *iam huc adveniet.* Miles ille in urbe versatur, quod efficitur eo quod parasitus ab illo missus venit (act. IV sc. I), qui etiam militem venturum esse nuntiat v. 603. Tandem act. IV sc. VII venit Cleomachus ex urbe.

Epid. 620: *sed quis haec est muliercula et ille gravastellus qui venit?* Personae illae primum prodeunt atque veniunt ex urbe. Stich. 458: *hicquidem Gelasimus est parasitus qui venit.* Gelasimus post v. 401 ‚iit intro ad libros' atque post v. 453 e domo redit. Hoc uno loco verbum veniendi absolute usurpatum significat aliquam personam e domo exire (cf. pag. 66). Pseud. 693: *venit eccum Calidorus.* Cal. abiit post v. 393, nunc redit ex urbe. Poen. 1331: *edepol hic venit commodus* (solus habet A) V. dittographia ortus est e v. 1330. Hoc uno loco extat perfectum, reliquis praes.

B. Uno tantum loco additur *unde veniant* personae quae praemonstrantur:

Most. 1076: *veniunt rure rustici: Philolaches iam hic aderit.* Tranio servus rusticos rure redeuntes se conspicere fingit, at neque rustici illi neque Phil. ipse in scaenam veniunt.

Hoc uno loco quo poeta cum cura addidit *rure,* personae peregre veniunt, eis vero locis quibus verbum veniendi absolute usurpatum est, personae vel ex urbe vel e domo (Stich. 458) veniunt.

Venire significat **motum personae quae iam in scaena erat** quattuor locis. Tribus prioribus indicatio loci desideratur, at quarto loco additur:

Persa 311: *venito, promoveto* (310: *adito*). Mil. 169: *estne advorsum hic qui venit Palaestrio?* (*avenit* A) *advenit* Ritschelius, sed nullo loco cum verbo adveniendi coniungitur *advorsum* (cf. advenire). Palaestrio iam in scaena praecedente in proscaenio versatus est atque senem exeuntem e domo nominavit ad quem adire constituit v. 169: *adgrediar hominem.* Mil. 1244: *sine ultro veniat.* Pyrgopol. ad Acrot. adire vult v. 1242: *prohibendam mortem mulieri video. adibon?* Palaestrio vero illum retinet, haec proferens: *minime, nam tu te vilem feceris, si te ultro largiere. sine ultro veniat* (scil. Acrot.). *veniat* igitur idem est quod *adeat.* Amph. 286: *modo sis veni huc, invenies infortunium.*

Nunc ad reliqua transeamus exempla. Atque hic adnotandum est verbum veniendi eam habere difficultatem, quod in maiore parte exemplorum discerni non potest, utrum in scaenam venire personas voluerit poeta an in urbem vel ad alium locum. Qua cum quaestione cohaeret altera illa utrum personae ex urbe veniant an peregre. Itaque rem ita instituam, ut eos locos de quibus dubitari non potest suo loco significem.

Haec habeo exempla in quibus mea quidem sententia personas **in scaenam venire** poeta significare voluit:

1. Ubi invenitur prima persona, is qui venit ipse unde vel qua de causa veniat dicit.

a) absolute:

venio: Persa 576, Amph. 17, 19, Curc. 319, Persa 103, Pseud. 850 (*veni* P), Aul. 223 (sup.), 752 (sup.). *veni:* Amph. 870, Epid. 500. *veniam:* Men. 989. *venerim:* Amph. 130.

b) locus indicatur:

p r a e s e n s: *huc:* Amph. 26, 867, Pseud. 1120, Rud. 94 (*ad Veneris fanum.* a verbo pendet infinitivus), Stich. 327.

ad personam: Curc. 457 [56], Men. 677, Rud. 417, Stich. 105, 127. Truc. 578: *valeo et venio ad minus valentem.* cf. Kock. III, pag. 507 nr. 544 (adesp.) *εἰς ἀσθενοῦντας ἀσθενῶν ἐλήλυθα.* *advorsum:* Men. 464, 987. *a matre:* Mil. 1299. *ab ero ad erum meum:* Pseud. 1283 (sup.).

p e r f e c t u m: *huc:* Amph. 50 (sup.), Aul. 447. Rud. 31 (prol.): *nunc, huc qua causa veni, argumentum eloquar.* Hoc loco *huc* apperte scaenam tantum significare docet continuatio. *de via:* Pseud. 661. *ad te:* Mil. 1158, Poen. 638. *advorsum:* Most. 938, 947.

In eis exemplis quae indicationem loci praebent, saepius invenitur perfectum quam in illis quae supra attuli, in quibus verbum absolute usurpatum est. Atque omnino saepius eodem modo praesens usurpatur, persona enim quae dicit *venio* non in scaenam prodiens hoc dicit, sed postquam aliquantum temporis in scaena versata est. Ergo his quoque locis exspectaveris perfectum *veni.* cf. graec. fragm. quod attuli ad Truc. 578. Praeterea cf. pag. 70.

p l u s q u a m p e r f.: *ad te:* Trin. 161.

f u t u r u m I: Mil. 933: *quom — a foro veniemus.*

f u t u r u m II: Truc. 547: *mox huc cubitum venero* (sup.). Truc. 883: *ad te venero.*

c o n i u n c t. p e r f. *huc:* Bacch. 1132. *quo:* Most. 968 [969].

2. Transeundum est ad ea exempla in quibus extat a l t e r a p e r s o n a.

a) absolute:

Amph. 369: *pedibus, non tunicis venis. venis* merum motum significare docet illud *pedibus.* Adde Amph. 587 (sup.), Capt. 870. *quid venis?:* Asin. 392, Stich. 247, Trin. 67. *quid venisti?:* Amph. 377. De temporum varietate *quid venis* et *quid venisti* cf. supra. *quid veneris:* Amph. 346.

b) addita indicatione loci:

p r a e s.: *huc:* Stich. 107 (sup.), 326 b. *ad amicam:* Truc. 166 [167] (sequitur infinitiv.). p e r f e c t.: Most. 594: *venisti huc te extentatum* (sup.). i m p e r a t i v u s: Mil. 1185 [84/85]: *huc venito.* c o n i u n c t. p r a e s.: Mil. 1177: *facito uti venias ornatu huc ad nos nauclerico.* c o n i u n c t. i m p e r f.: Men. 1051: *advorsum . . . huc venires.*

3. Nunc agendum est de t e r t i a p e r s o n a.

a) absolute:

p e r f e c t u m: Merc. 783, Rud. 143, 341. p l u s q u a m p e r f.: Bacch. 631 (sequitur infinitivus). f u t u r u m: Cist. 108, 592, Mil. 480, Rud. 417. c o n i u n c t. p r a e s.: Bacch. 224, Cas. 559, Rud. 328. c o n i u n c t. p l u s q u a m p.: Mil. 1318 *(mecum . . . simul).*

b) indicato loco quo vel unde veniatur:

Tertiae personae nonnullas formas in initio pag. 62 sq. attuli ubi de personis praemonstratis egi quibus in exemplis extat praesens (semel tantum loco indicato).

Tria nunc sequuntur exempla in quibus occurrit tertia persona p r a e s e n t i s, sed non ita, ut persona praemonstretur: *huc:* Bacch. 932. Stich. 646. *mihi obviam:* Rud. 206 b.

p e r f e c t u m: *huc:* Rud. 323, 340. *hac:* Asin. 741. *a matre et sorore:* Mil. 1313.

f u t u r u m: *huc:* Bacch. 603, Asin. 357 *(inde).* Trin. 17: *senes qui huc venient ii rem vobis aperient* (praecedit *sed de argumento ne exspectetis fabulae*). Hic v. continet *προπαρασκευὴν* scaenae insequentis. Simillimi sunt Adelph. Terenti prol. v. 22 et 23.

f u t u r. e x a c t.: Amph. 309: *quisquis homo huc profecto venerit pugnos edet. huc* certam partem scaenae significat, scilicet eam, ubi Mercurius stat.

c o n i u n c t. p r a e s.: *huc:* Asin. 740, Most. 1074, Rud. 456, 1212, Truc. 592 (⟨*ad me*⟩ add. Schoell.). Most. 248 [249]: *quom / huc veniat Philolaches* (*veniat* libri, *adveniat* Ritschelius). Sed hiatum ante litteram h legitimum esse multis exemplis demonstravit Birtius, l. c. pag. 55 seqq., quo tamen loco hoc exemplum omisit. *ad me:* Mil. 1132. *mihi obviam:* Poen. 1288, Pseud. 1061. *foras:* Truc. 709.

Adnotandum est non raro in exemplis coniunctivi addi *nunc,* qua re efficitur personam quae loquitur id sibi velle, ut is qui *nunc venire* iubetur vel optatur i n s a e n a m prodeat.

p e r f e c t. p a s s.: Truc. 9 (prol.): *qua huc ventumst gratia.*

4. Verbum infinitum invenitur:

infinitivus praesentis: *huc*: Rud. 308: *me huc obviam iussit sibi venire ad Veneris fanum.* Rud. 315[a]: *ecquem adulescentem huc ... vidistis ⟨vos⟩ venire?* infinitivus perfecti: *huc:* Amph. 920, Rud. 316. infin. praes. passivi: Rud. 271: *ad hoc fanum ad istunc modum non veniri solet.*

Si omnia exempla in quibus verbum veniendi ad scaenam referendum est perspectamus, non raro verbum absolute ita usurpatum esse videmus. Tum persaepe occurrit *huc* quod *in scaenam* non *in urbem* significat, nec raro praeter *huc* aliae adduntur indicationes loci. Rarius invenitur haec constructio *venire ad aliquem*. Ter *ad fanum* (bis praeter *huc*) additur. Compluries personae *advorsum* vel *obviam* veniunt. Semel extat *hac* (scil. via), alio loco *quo* coniunctum cum coniunctivo. Paucis locis unde personae veniant indicatur, uno enim loco additur *rure*, uno *a foro* vel *de via* vel *inde*, tribus locis a qua persona veniatur dicitur. De exeunte e domo semel tantum adhibetur *venire:* Truc. 709, quo loco additur *foras*. cf. pag. 62. Ad finem exprimendum compluries additur supinum, ter vero infinitivus.

Iam agendum est de multo maiore numero illorum exemplorum in quibus *venire* **non ad scaenam referendum est;** sed nonnullis locis personam quae venit et in urbem et in scaenam venire poetam voluisse negari non poterit.

A. Ac primum quidem *absolute* usurpatum est verbum illa significatione:

indicativus praes. Merc. 99: *venio.* Most. 1131: *quin venis?* (scil. ad cenam). Epid. 272: *hodie non venit* (*venerit* corr. Redslobius) (271: *priusquam in urbem advenerit*). Pseud. 1119: *ubi is non venit nec vocat* (in narratione). Stich. 643: *qui hercle illa causa ocius nilo venit.* Cist. 75: *nisi venit.* Pseud. 804: *cum extemplo veniunt conductum coquom* (sup.). Mil. 134: *nam et venit et is in proximo devertitur* (*venit et is* DB[2], *venietis* B[1], *venit eius* C). Hoc loco personam non in scaenam sed in urbem venisse efficitur ex illis *et is in proximo devertitur.*

Saepius occurrit coniunctivus praesentis: Aul. 100, 156, 239, 278, Bacch. 48, 58, 83, Capt. 191, Cas. 524, Cist. 74. Curc. 253: *ut sit paratum prandium quom veniat* (scil. domum), Epid. 277, Poen. 322, Pseud. 168 (*veniat* Ritschelius, *veniat mi* P, A n. l.), Rud. 969, 1021, Stich. 594, 687, Truc. 225.

Futurum I: Capt. 187, Cas. 527, Cist. 75, Men. 995 [96], Most. 441. Poen. 124: *hic qui hodie veniet* (*huc* Geppert.), Stich. 645.

Futurum II: Asin. 154, Men. 1160, 423 (scil. ad aedes), Mil. 946, Pseud. 660, Truc. 417.

Non raro inveniri perfectum nemo mirabitur qui id respicit quod hoc tempore narrari solet motus qui aliquo factus est: Amph. 92, 514, Asin. 337. 408: *is nullus venit* (scil. in tonstrinam), Aul. 180, Bacch. 247, Capt. 882. Curc. 437: *cur non venit* (persona de qua agitur in urbe non versatur), Men. 392. Mil. 442: *eam veni quaesitum* (supin.) ubi v. 441 quaeritur: *quid hic tibi in Epheso est negoti?* Most. 366 et 376 venit pater, sed non in scaenam eum venisse docet v. 383: *pater, inquam, aderit iam hic meus.* Poen. 1010: *quid venit?* (1009: *quid in hanc venistis urbem?*). Stich. 373: *venit, inquam* ubi Epignomus in actu insequenti demum in scaenam venit, Stich. 399 (*veni* A), Trin. 611, 1142.

Coniunct. perf.: Poen. 6: *qui saturi venerint* (sc. in theatrum). Poen. 992: *appella ... quid venerit* (v. 1009: *quid in hanc venistis urbem ...?*).

Coniunct. plusquamp.: Epid. 628: *venisset* (*ven[is]se* A). Mil. 387: *quia soror venisset* (384: *venisse Athenis in Ephesum*).

Imperativus: Men. 215, Persa 30 [30a]. Stich. 621: *veni.* || *hucine?* || *immo in carcerem.*

Infinitivus: Bacch. 184: *venire tu me gaudes* (186: *peregre advenienti*). Epid. 7, Mil. 897: *venire salvom gaudeo.* Epid. 395: *venire salvom mercatorem gaudeo.* Most. 12: *sine modo venire salvom* (*salvom* Nonius B[2], *salvos* B[1], *salvus* CD). Merc. 452, 698, Most. 443, Poen. 1348.

Truc. 504: *salvom te —* || *scio: sed peperitne, opsecro, Phronesium?* (*venire salvom* libri, *salvom* Kampmannus).

Cum Truc. 504 conferri potest Epid. 128, qui locus ipse quoque a librario corruptus est: *salvom huc advenisse — tam tibi istuc credo quam mihi* (*salvom te gaudeo* libri, *salvom* Seyffertus). Utrobique enim persona quae adveniens salutatur, alteram personam quae *venire salvom*

gaudet inhibet. Atque ex verbi adveniendi et verbi veniendi usu in formulis salutandi efficere possumus loco supra laudato, Truc. 504, subaudiendum esse *salvom te advenisse gaudeo* nec vero *venisse.* Nam si adhibetur verbum simplex *salvom* post verbum collocatur, si vero usurpatur *advenire, salvos* semper praecedit.

Infinitiv. perf.: Aul. 97, Stich. 367, 391. Infinit. fut.: Amph. 658, 659, Bacch. 186, Cist. 588, Curc. 325, Stich. 654, 677. Particip. fut.: Capt. 183, Stich. 357.

B. Sequuntur ea exempla in quibus *directio veniendi indicatur.* Quae quidem exempla ita digeram, ut singulas indicationes loci enumerem quibusque locis inveniantur addam.

huc non ad scaenam referendum est in his exemplis quae accuratius exscripsi ut *huc* significare *in hanc urbem* appareat: Amph. 140 (prol.): *hodie veniet huc ab exercitu.* Cas. 102: *huc mihi venisti sponsam praereptum* (sup.): *huc* significare *in hanc urbem* docet v. 106: *huc quod veni in urbem si impetravero.* Poen. 951: *ut quod de mea re huc veni rite venerim.* Cist. 157: *mercator venit huc ad ludos.* Truc. 340: *ubi is huc venerit* (peregre venit, cf. v. 515). Rud. 35 (prol.): *huc Athenis exul venit.* Stich. 491: *Ambracia veniunt huc* (in narratione). Most. 1123: *venisse ⟨dixit⟩ mihi suom peregre huc patrem.* add. Pylades, Bothius. Mil. 133 (prol.): *ut is huc veniret* (scil. Athenis). Poen. 114 (prol.): *is heri huc in portum navi venit.* 121 (prol.): *is hodie huc veniet.* cf. Men. 70 (prol.): *hodie in Epidamnum veniet.* Mil. 975: *huc gemina venit Ephesum.*

venire ad aliquem: Amph. 532, Asin. 207, Capt. 488, Epid. 304, Men. 543, 737, 1006, Merc. 788, Mil. 119, 1403, Most. 490 (in somnis. *ad se* B[2] *adesse* P), 1162, Persa 586, Poen. 181, 731, 763, 1181 [80], Pseud. 1009, 1067, Rud. 928, 1296, 1422, Truc. 883. – Amph. 256 *(in castra ex urbe),* Capt. 383 *(hinc),* Most. 313 *(advorsum mihi),* Stich. 486 *(ad cenam),* Trin. 772 *(a patre ex Seleucia),* Aul. 408 *(in Bacchanal),* (sup.).

venire ad aliquem locum vel rem: Aul. 373: *ad macellum.* 429: *ad nuptias.* 506: *ad villam.* Cas. 120: *ad villam (illam* P). Epid. 217: *ad portam.* Merc. 616, Rud. 65: *ad portum.* Poen. 318: *ad aedem Veneris.* Rud. 995: *ad terram.*

Locus indicatur adhibita praepositione *in:* Asin. 408, 413: *in tonstrinam.* Bacch. 424: *in palaestram.* Persa 577, Stich. 528: *in portum.* Most. 930: *in urbem.* Poen. 1009: *in hanc urbem.* Trin. 468: *in aedem ad cenam.*

Nomen proprium invenitur: Curc. 339: *Cariam.* 438: *in Cariam ex India (advenimus Cariam* Goetzius). Men. 70: *in Epidamnum.* 230, 306: *Epidamnum.* Merc. 93: *Rhodum.* 937: *Cyprum.* Mil. 384: *Athenis in Ephesum.* 976: *eho tu, an venit Ephesum mater eius (eon tu advenit* corr. Ritschelius). Pseud. 621/22 [621]: *Athenas antidhac nunquam veni (Athenis, adveni* P, *veni* A). cf. Men. 306: *Epidamnum nunquam vidi neque veni.* His duobus locis *Athenas veni* significat ich habe Athen besucht, non adventum significat. Itaque Pseud. 731 fortasse legendum est: *neque ⟨in⟩ Athenas venit umquam,* libri praebent *advenit* quod etiam in versu qui praecedit legitur, itaque facile fieri potuit, ut librarius etiam v. 731 scriberet *advenit.* Poen. 851: *quasi Acheruntem veneris.* Amph. 1078: *quasi si ab Acherunte veniam.*

Aliae indicationes locis: *domum:* Epid. 68, Mil. 859. *intro:* Amph. 972. Capt. 527: *qui venit modo intro* (sic libri, *intro venit modo* Cam. Leo suspicatur *⟨huc⟩ modo intro). illuc:* Bacch. 341, Capt. 345, Men. 29, Merc. 649. *rus:* Cas. 437. *illo:* Curc. 646, Mil. 1193, Stich. 265, 185, Truc. 647 *(illoc). eo:* Epid. 69, 304 (scil. ad forum), Poen. 1175. *quo:* Amph. 61. Rud. 111: *an quo furatum mox venias vestigas loca.* Trin. 864: *quo mox furatum veniat speculatur loco. quoquo:* Aul. 505. *intra pessulos:* Truc. 351: *quidquid venit intra pessulos (infra* B C D[2]).

His exemplis adserendus est Asin. 902 [897]: *dixisti in mé. sine venias módo domum faxo scias. venias* libri, *revenias* Goetz. et Schoell., metri causa; sed ante praefixum *in* saepe hiari demonstravit Birtius l. c. p. 312 seqq. *venias* igitur recte sese habet.

Rarius *unde* veniant personae dicitur: *a persona:* Men. 884: *ab aegrotis,* Stich. 148: *a viro. illinc:* Epid. 273, Men. 413. *rure:* Truc. 693, 694 (Leo suspic. *rure ⟨huc⟩. peregre:* Most. 742, Trin. 423, Truc. 85.

venire advorsum occurrit: Cas. 461, Men. 437, 445, Stich. 300 [299]. Trin. 724: *qui ero advorsus venerit..*

obviam venire: Epid. 165, Merc. 219.

Venire re vera motum significat sed ita ut subiectum sit res, non persona; et quidem *navis:* Most. 740 (abs.). Amph. 405: *⟨huc⟩ ex portu Persico,* Stich. 152, 366: *ex Asia.*

Subiectum est bestia: Aul. 670: *corvus,* Merc. 234: *simia.*

De verbi veniendi **usu translato** pauca adnotanda sunt. Notissimae sunt illae formulae *in mentem venit, usus venit*, quas omitto.

a) absolute:

Subiectum *res* est atque *venire* notionem eundi amisit: Bacch. 550: *morbus*. 903: *pernis pestis*. Most. 108: *tempestas*. 111: *imber*. 137: *ignavia*. Pseud. 70: *vastities*. Trin. 999: *tempus atque occasio*. Cist. 75: *istuc verbum ‚veniet'*. Mil. 891: *quom venit vobis faciundum utrumque*. Most. 73: *celerius venit quod molestet, quam illud quod cupide petas* ubi libri: *venire quod moleste*, quod emendavit Birtius, cuius scripturam secutus sum. *venit* iam Bentleius, *veniet* Leo, *venit quod nobis* Ritschelius.

b) locus indicatur:

Pseud. 2: *fabula in scaenam venit*. Capt. 1010: *in divitias faxo venies*. Cist. 673: *in tergum meum ne veniant male formido*. Haec e sermone militari sumpta sunt. Persa 519: *nunc ad illud venies quod refert tua* (*ventes* P). Poen. 185: *ubi in ius venerit*. 1360: *si in ius veneris* (*[i]n ius* A, *intus* P). 727: *quom ad praetorem usus veniet*. Rud. 234: *vox mi ad auris venit*.

Si verbi veniendi usum perspectamus, in maiore parte exemplorum adventum in urbe significari videmus, neque raro *venire* indicat personam in scaenam venire. Neque vero motum ipsum significari multis locis constat, sed motum iam confectum, scilicet *venio* significat ich bin da, hier, non ich komme.

advenire.

Hoc quoque verbum rarius quam exspectaveris **ad personae praemonstrationem usurpatur.**

a) absolute:

Amph. 1005: *sed eccum Amphitruonem: advenit*. Amph. in hac scaena (III, 4) non in scaenam venit sed in scaena insequenti demum (IV, 1), actus finis igitur intercedit inter pronuntiationem et progressum in scaenam. Ergo vel actuum distributio falsa est vel spatium quod intercedit inter actum III et IV quodque tibicen explet perbreve fuit. Amph. e portu, scilicet peregre, advenit atque loco de quo agimus

primum in hac fabula in scaenam prodit. Persa 543: *sed optume eccum ipse advenit hospes ille* (*advenit* A, *adunt* B, *addunt* CD). Toxilus Sagaristionem e portu (v. 530) advenire fingit, Sagaristio vero ille re vera non abierat a scaena sed paululum concesserat (IV, 2) atque loco de quo agimus Toxili imperium (v. 469) obsequitur. Quo loco certo consilio verbum *advenire* usurpavit poeta, non verbum *adire* quod invenitur v. 469, scilicet, ut iam verbo adveniendi ipso personam e portu venire indicetur. cf. de verbi adveniendi usu pag. 79. Rud. 804/5: *ehem optime edepol eccum clavator advenit* (Bentleius *venit*, metri causa). Persona illa domum abire (*domo* v. 798 suppl. Leo) iussa est atque l. l. e domo redit in scaenam. Trin. 432: *tempust adeundi.* || *estne hic Philto qui advenit? is hercle est ipsus.* Philto iam in scaena praecedenti in proscaenio versatus est atque in fine scaenae III. act. II. Lesbonicum et Stasimum exeuntes praemonstravit, quo tamen loco nihil dixit se paululum concessurum esse. Lesbonicus vero et Stasimus dum colloquuntur Philtonem non conspiciunt qui contra ipse illorum verba audit atque compluries secum loquitur de illorum narratione. V. 742 demum Philto adire constituit ad illos, at Lesbonicus si quid video Philtonem hoc demum loco in scaenam venire putat. Similis est hic locus illius supra allati, Persae 543, utrobique enim aliqua persona in scaenam venire fingitur vel putatur, quae iam antea in scaena versata erat.

b) Sequuntur quattuor exempla in quibus *locus indicatur*:

Amph. 149: *a portu illic nunc cum lanterna advenit*. Sosia ad quem haec verba spectant a portu, scilicet peregre (v. 161/2) advenit atque hoc loco primum in scaenam prodit. In fine prologi v. 148 et 149 persona quae in scaena insequenti proditura sit pronuntiatur spectatoribus. Mercurius qui pronuntiat prologum, etiam in scaena prodit quae prologum sequitur. Epid. 435: *sed quis hic est quem | huc advenientem conspicor*. *huc* proscaenium significat. Miles ille in hac scaena primum prodit, ex urbe ni fallor. Epidicus militis mentionem facit v. 299 seqq. quo quidem loco unde venturus sit ille non dicit. Epid. 533: *quis illaec est mulier . . peregre adveniens*. Mulier ad quam haec verba spectant iam in initio scaenae atque actus verba fecit, sed peregre se advenire omnino non dixit. Quae cum ita sint hoc modo in initio actus IV. rem fuisse puto: Periphanes iam in initio scaenae in proscaenio versatur, sed Philippam quae peregre i. e. a sinistra parte scaenae venit non ante v. 532 conspicit, Philippa vero dum appropinquat secum ipsa loquitur v. 526—32. Philippa primum hoc loco prodit. Men. 747: *patrem meum qui huc advenit*. *huc* ad scaenam spectat. Senex

ille antea non prodierat in scaenam. Unde veniat non indicatur, effici vero potest e narratione senis quae sequitur: a filia vocatus atque iam ad illam iturus est quae quidem in domo quae in scaena posita est habitat. Pater igitur non e domo sed ex urbe venit.

Hos octo inveni locos quibus verbo adveniendi praemonstratur persona quae in scaenam venit. Uno loco illa e domo exit: Rud. 804/5, duobus locis persona quae re vera non abierat a scaena in scaenam venire putatur vel fingitur: Trin. 432, Persa 543, duobus personae ex urbe veniunt: Epid. 435, Men. 747, duobus aliis Amph. 1005, 149 persona quae navi in urbem Thebas venit a portu in scaenam advenit, semel, Epid. 533 persona peregre advenit, sed non navi atque e portu, a sinistra autem parte scaenae scilicet pedibus. Quinque locis persona quae praemonstratur primum prodit.

Sequitur unum exemplum in quo *subiectum est bestia:* Poen. 975: *quae illaec avis est quae huc cum tunicis advenit?* Leo suspicatur *advolat,* non recte, nam *advolare* de avibus dictum ante Ciceronis aetatem non invenitur, de rebus iam a Plauto usurpatur (cf. Thes. Ling. Lat. *advolare*). Hic v. re vera ad hominem, Hannonem, spectat qui iam in scaena quae praecedit verba fecit atque in fine scaenae Agorastoclem et Milphionem exeuntes conspexit. Illi vero Hannonem adeuntem v. 975 demum conspiciunt atque hoc temporis momento eum venire opinantur.

Nunc reliqua digeram exempla in quibus invenitur *advenire,* et primum quidem ea in quibus verbum usurpatum est

A. absolute:

I. **Ad scaenam ipsam tantum** spectat verbum:

1. prima persona.

advenio: Amph. 32, Aul. 739 (sup.), Persa 103. Men. 776: *salven advenio?* Senex iam v. 747 praemonstratus est a persona alia. *salven advenio* significat: salvomne me advenire gaudes? Merc. 887: *amicus advenio multum benevolens.* Ritschelius hunc v. post v. 872 posuit atque sic supplevit: ⟨*nam*⟩ *amicus* ⟨*tibi benevolenti*⟩ *advenio multum benevolens.* Leo suspicatur: ⟨*nam*⟩ *amicus* ⟨*amico*⟩. Cum ante *amare* et *amicus* saepe non elidatur (vide Birtius, Hiat bei Pl. 346 seqq.), Birtius legendum

proponit: *sta ilico* | *amicus ad te venio multum benev.* Trin. 448: *neque te derisum advenio* (sup.) (sic A, *veni* P). Etiam *veni* in textum ut recipiatur metrum concedit. Praeterea supinum et cum verbo veniendi et cum *advenire* non raro coniungitur. Sed persona quae unde vel qua de causa venerit explanat plerumque tempus praesens usurpat (cf. venire pag. 64). Itaque *advenio* praeferendum est. — Philto iam v. 432 a Lesbonico praemonstratus est Stasimo, spectatores vero illum iam v. 276 e domo exeuntem conspexerant.

Compluries in his exemplis *advenio* dicitur a persona quae iam diutius in scaena est, significat igitur ich bin gekommen (cf. Trin. 448).

advenimus: Merc. 748. *advenissem:* Capt. 871.

2. altera persona.

advenis: Amph. 957, Merc. 912, Capt. 836, Poen. 765 (sup.). His quattuor locis homines e domo exeunt. Ad Capt. 836: *in tempore advenis* cf. fragm. Alexidis Nr. 297 *ὡς χρόνιος ἐλήθυθας,* quo tamen loco extat perfectum. *in tempore advenisti* non invenitur, sed *opportune advenisti.*

advenisti: Asin. 449, Epid. 628, 630, Merc. 964, Persa 101.

His quinque locis quibus perf. extat personae ex urbe veniunt, non e domo, scilicet etiam Asin. 449 (mercator 381 venit) quo loco quaeritur *quam dudum tu advenisti?* qua ex quaestione ipsa effici non potest unde venire mercatorem putet Leonida.

3. persona tertia.

Trin. 852: *eo ornatu advenit* (praes.). Hoc loco non praemonstratur persona. Ego quamquam Sycophanta ipse peregre se advenire dicit v. 845, Charmidem loco laudato verbum *advenit* ad scaenam referre puto propter illa quae adduntur *eo ornatu.* Talia enim saepius adduntur eis locis quibus persona praemonstratur, inprimis si usurpatur verbum *incedere,* de quo postea acturus sum. Truc. 481: *nunc ecastor adveniat miles velim* (*ecastorum veniret miles* libri, corr. Muellerus, prosod.). Hoc quoque loco persona ad quam hic v. spectat ipsa peregre se advenire dicit (v. 497/98). Sed is qui loquitur ad scaenam illa verba refert quod efficio e v. 474: *is hic haud multo post, credo, aderit.* Phronesium igitur militem in urbem advenisse accepit, atque illum ad se etiam *nunc* venturum exspectat. Most. 1077: *iam hic aderit.* || *edepol mi opportune advenerit.* Philolaches de quo agitur rure venit (v. 1076), sed cum praecedat *iam hic aderit* et usurpetur fut. exact. *advenerit* de

persona quam in urbem iam advenisse docet v. 1076, loco de quo agimus *advenire* ad scaenam tantum referendum est. Asin. 730: *illum .. hic oblectabo prius si forte advenerit.* Is ad quem haec spectant iam in foro versatur (v. 367), inde igitur advenerit. Itaque hoc tantum loco persona omnino peregre non advenit, reliquis vero peregre in urbem adveniunt, postea etiam in scaenam.

Uno loco quo invenitur 3. pers. verbum ad certam partem scaenae spectat, scilicet ad fores domus: Truc. 96: *nequis adventor gravior abaetat quam adveniat.* cf. Rud. 1243: *ut cum maiore dote abeat quam advenerit.*

4. Verbum infinitum.

part. praes.: Bacch. 61, 769 (de exeunte e domo), Most. 570, Stich. 457 (de adveniente in scaenam cogitari docet v. 456: *iamne a portu advenerit*).

infin. praes.: Asin. 736. Epid. 203: *optuma vos video opportunitate ambo advenire* (*ambo adv. opp.* libri, corr. Both.). Senes illi iam in scaena praecedenti in proscaenio versati erant, unde veniant non dicitur; v. 186 Epidicus eos *ante aedis* conspicit. Men. 139, Most. 574.

infinit. perf.: Truc. 205 [204]: *iam hic adfuturum aiunt eum, nondum advenisse miror.*

Omnibus locis adhuc allatis agitur de persona quae in scaenam venit. Saepius talia adduntur: *per tempus, opportunus* (Most. 574), *optume, in tempore* (Capt. 836) *optuma opportunitate.* Uno tantum loco quo verbum adveniendi de persona quae ex urbe venit adhibetur, ad ipsum verbum additur *salve,* Men. 776: *salven advenio,* in universum enim viri peregre tantum advenientes tali modo salutantur.

II. Nunc ea exempla afferam in quibus verbum adveniendi absolute usurpatum **non ad scaenam tantum sed et ad scaenam et ad urbem** referendum est. Omnibus locis personae peregre adveniunt.

prima persona: Amph. 679: *exspectatun advenio?* 666: *advenimus.*

altera persona: Stich. 471 [70/71]: *cenem illi apud te, quoniam salvos advenis.* Adde: Trin. 989, 991, Truc. 349, Amph. 367, Curc. 454. Amph. 544: *ut actutum advenias* (exspectaveris *revenias*).

tertia persona: Most. 11: *sine modo adveniat senex.*

particip. praes.: Amph. 150, 181, 183, 296, 665, 711, 713, 714, 799, 978 (cf. 150), Bacch. 101, 197, 361, 538, Curc. 660, Epid. 571, (*venienti* P, corr. Cam., A. n. l.) 622, Men. 724, Most. 378, 389, 430, 1124 (*ad* ⟨*venientem*⟩ suppl. Aldus), 1136, Poen. 601, 692, 1151, Pseud. 603, 1201, Stich. 512, 576, Trin. 869, 1138, Truc. 382. — Curc. 660 persona quae peregre advenit non, ut fieri solet, ad cenam invitatur sed ut ipsa cenam det oratur.

infinit. praes.: Tribus locis inveniuntur formulae illae salutandi quibus salutantur peregre advenientes: Bacch. 456, Poen. 686: *salvom te advenire gaudeo.* Curc. 307: *salvom gaudeo te advenire.*

infin. perf.: Amph. 695, 758, Most. 929 [928]. Bis persona quae advenientem salutat usurpat inf. perf.: Most. 448. Trin. 1097.

III. Iam nonnulla afferam exempla in quibus verbum adveniendi **ad scaenam omnino non spectat:**

Quinque locis quibus extat perf. aliquem in urbem advenisse nuntiatur, in scaenam vero ille postea demum prodit:

Epid. 22: *sed ubist ist? || advenit simul.* Adde Epid. 55, Most. 376, Amph. 353, Capt. 899.

Accedunt duo exempla in quibus extat part. praes.:

Amph. 613: *adveniens faciam, ut offendas domi ...* In scaenam iam advenit Amph., verba illa igitur ad domum spectant quod probatur illo *offendas domi.* Men. 229: *si adveniens terram videas.* scil. navi adveniens, h. e. reveniens in patriam.

IV. Restat, ut nonnulla addam exempla in quibus **personae non peregre adveniunt neque in scaenam veniunt:**

Amph. 1065: *caeli cultor advenit* (in narratione). Adde Aul. 705, Capt. 914, Capt. 1004, Curc. 338, Merc. 576, Rud. 1275, 1277.

B. Iam transeo ad ea exempla in quibus additur *quo* vel *unde* personae adveniant.

I. Ac primum quidem ea enumerabo in quibus verbum adhibetur de **persona** quae **in scaenam tantum venit.**

Ubi raro invenitur *unde* veniat: Cas. 974: *unde.* Stich. 456: *a portu.*

quo adveniat saepius indicatur: Amph. 603: *illo*. Bacch. 369: *quo* (scil. ad fores). Undecim locis additur *huc*, bis praeterea *ad te*: Bacch. 76, 222, Men. 287 (Cyl. Men. II falso Men. I esse putat, quem in exeunte scaena III, act. I ad cenam invitaverat), Most. 1069, Pseud. 1030 (*advenat. adveniat* C, cf. pag. 80). Rud. 80: *adulescens huc iam adveniet.* Hoc loco eodem modo atque Trin. 17 in prologo persona quae postea proditura sit pronuntiatur. Rud. 818, Truc. 270 (sup.). Trin. 67 et 97 *(ad te)*, (Trin. 67: *advenio* P, *venio* A).

Semel persona nominatur: Epid. 456: *ut quod ego ad te advenio intellegas* (*venio* P). Cum hic unicus locus sit ubi *advenire* ad aliquem inveniatur (scilicet in eis exemplis quae ad scaenam spectant) fortasse illud *venio* praeferendum est.

Semel indicatur *quo loco* adveniant personae: Stich. 682: *amicos meos curabo hic advenientes. amici* illi v. 673 in aedes abierunt, unde v. 683 redeunt.

His locis *advenire* ad scaenam tantum referendum est, atque maiorem partem obtinet *huc*. Omnibus in exemplis personae non peregre veniunt. Semel e domo exeunt (Stich. 682).

II. Nunc vero sequuntur ea in quibus verbum dicitur **de peregre adveniente,** quibus locis personas et in urbem et in scaenam advenire poeta significare voluit.

1. *unde* adveniant homines indicatur:

peregre. praes.: Bacch. 536, Most. 1128, Truc. 127. perf.: Amph. 846, Most. 611, 1004, Truc. 186 [185]. partic. praes.: Amph. 161, 361, Bacch. 186, Epid. 126, Stich. 740 [39/40], Trin. 997, Truc. 515. inf. perf.: Most. 805.

peregre huc: Trin. 1121.

In his exemplis quibus additur *peregre*, non raro homines advenientes ipsi salutant vel ab aliis salutantur et ad cenam invitantur, ut exempla afferam: Bacch. 536, Truc. 127, Bacch. 186, Amph. 161.

unde: Trin. 879: *unde es? aut unde advenis?*

Nomen proprium: Trin. 845: *advenio ex Seleucia, Macedonia* e. q. s. Sycophantam ex urbe venire puto, cf. v. 765 seqq., ex terris illis se advenire ut fingat admonitus est. Truc. 355: *Lemno*. Pseud. 730: *a patre Carysto.*

Praeter nomen proprium additur *quo* adveniatur: *huc Athenis*: Mil. 239 (*hanc* corr. Ritsch.), 489. *Athenis Ephesum* (= huc): Mil. 439. *Lemno Athenas* (= huc): Truc. 91. *Aegypto domum*: Most. 440.

2. *quo* adveniant dicitur:

huc quinque tantum locis et ad urbem et ad scaenam spectat, saepius hoc adverbium ad scaenam solam relatum invenimus supra: Amph. 368, Poen. 1033 (sup.), 1137 [38], Asin. 799, Epid. 128.

Quinque locis quibus invenitur *domum* (Amph. 759 praeterea *ad te*) personae peregre adveniunt atque domum significat in die Heimat: Amph. 669, 706, 654, 759 *(ad te)*, Stich. 422.

in Epidaurum: Curc. 561 (fabula agitur Epidauri).

ad me: Curc. 143 (Persona ventura est ex Caria).

In eis exemplis in quibus *advenire* de peregre in urbem adveniente dicitur saepius additur *unde* ille adveniat quam *quo* adveniat, id quod ex ipsa significatione verbi explicationem habet.

III. Verbum **ad scaenam omnino non referendum est,** sed vel ad urbem tantum vel ad alium locum (scilicet personae peregre veniunt).

in urbem: Epid. 271, Truc. 282. *in portum* (subiect. *navis*): Men. 340, Bacch. 235 *(ex Epheso)*. *peregre*: Most. 353. 374: *pater advenit peregre* (v. 352: *ad portum conspicatus sum.* pater III, 1 demum in scaenam venit). *domi*: Epid. 361 (*veniens* libri, corr. Cam.). *rure*: Merc. 814. Uno loco persona advenit in urbem, in qua tamen fabula ipsa non agitur (in narratione): Mil. 104: *interibi hic miles forte Athenas advenit.* De Pseud. 731 egi pag. 69.

IV. Verbum adhibetur de personis quae **neque peregre neque in scaenam veniunt:**

illo: Amph. 197: *ubi illo advenero.* Adde Capt. 1002, Poen. 1083, Amph. 203, Curc. 337, 340. *illuc*: Amph. 466: *iam ille illuc ad erum quom Amphitruonem advenerit* (scil. ad portum, v. 460). Cum *illuc* non habeat substantivum ad quod referatur, Mercurium digito qua parte abiit Sosia monstrare elucet. *eo*: Merc. 940. *quoquo*: Cas. 722. *ad villam*: Truc. 647. *ad alienam domum*: Rud. 116. *ad forum*: Capt. 786. — Asin. 873: *noctu* ⟨*ad me*⟩ *advenit* (add. Fleckeis.). Hiatus qui

intercedit inter *noctu* et *advenit* tolerari possit. Sed verbum adveniendi hoc loco indicationem loci flagitat. *advenit* intellegendum est: domum suam advenit. Atque in eis exemplis, in quibus verbum adveniendi absolute usurpatum ad scaenam omnino non spectat (cf. pag. 75) — quod etiam l. l. statuimus — semel tantum subaudiendum est *domum*, Capt. 914, ubi tamen brevi ante locus indicatur (v. 911). Sed Asin. 873 talis indicatio neque antea neque postea invenitur. Itaque *ad me* addendum est. *ad me:* Merc. 100. *ad eum*: Epid. 365: *siqui ad eum adveniant*. sic Cam. *siquid* B, *si quid* I. *si quid adveniam* Leo, non recte, nam *siquid* ad finem veniendi indicandum neque cum verbo veniendi neque cum composito *advenire* coniunctum inveni. *ad scorta:* Truc. 100/1 [100]. *intro*: Persa 86, Rud. 1206, Truc. 102 [101]. Duobus prioribus locis *intro* spectat ad domum quae post scaenam picta videtur, Truc. 102 de certa domo non cogitatur. Eis quoque quattuor locis qui sequuntur *advenire* spectat ad domum quae in scaena aedificata videtur: Mil. 806: *domum*. 578: *a foro domum*. [Poen. 929: *a foro*] secl. Weisius. Persa 731: *domi*, ubi Dordalus v. 723 in aedes abiit. — *domum* Mil. 806 et 578 significat nach Hause, in das Haus, de alia significatione egi pag. 77.

Translate verbum adveniendi **raro usurpatum est,** eadem de causa, ut opinor, quam commemoravi de verbi abeundi usu translato.

a) absolute:

Semel subiectum *persona* est: Men. 1020: *tibi suppetias temperi adveni modo*.

Subiectum *non persona* est: Men. 759: *res plurumas pessumas quom advenit adfert* (scil. aetas). Most. 142: *continuo pro imbre amor advenit [in cor meum]* del. Both. Merc. 144: *salutem* ⟨*cum*⟩ *cruciatu quae advenit*. add. Pylades. Rud. 1243: *ut cum maiore dote abeat quam advenerit*, scil. praeda. Amph. fragm. XII [VIII]: *advenienti morbo medicari*. Nonius 247: advenire: incipere Plautus Amphitryone.

Iam unum locum hic affero quem iam supra afferendum esse dixerit quispiam, scilicet Pseud. 669: *nam ipsa mi Opportunitas non potuit opportunius advenire quam haec allatast mi opportune epistula*. Certe poeta hoc loco de persona cogitare potuit, cum tales figuras allegoricas quae dici solent etiam in aliis fabulis re vera loquentes inducat. Sed cum *Opportunitati* opponatur *epistula* magis rem quam deam significari puto.

b) Bis tantum adduntur *indicationes loci:*

Capt. 911: *clades, calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum*. Merc. 667: *quoniam a viro ad me rus advenit nuntius, rus non iturum*. Hoc loco *nuntius* propter accus. c. inf. qui sequitur Nachricht significat.

Si in fine huius partis ad verbi adveniendi usum oculos convertimus, numerum eorum exemplorum in quibus adhibetur de peregre adveniente non multo maiorem esse quam eorum in quibus *advenire* usurpatur de persona quae non peregre venit videmus. Sed ex eis exemplis in quibus aliquem *peregre* advenire fingitur, quibus locis ipsum *peregre* numquam additur, effici potest hoc verbum per se significare *peregre advenire*.

Quod ad rem grammaticam attinet in eis exemplis quae absolute usurpata sunt verbum infinitum atque imprimis participium praesentis praevalere adnotandum est (62 : 46).

convenire.

Hoc verbo semel **praemonstratur persona:**

Most. 312: *conveniunt manuplares eccos*. Verbum absolute usurpatum significat zusammen kommen, sich versammeln. Personae illae etiam v. 310 et 311 praemonstrantur.

Hoc tantum loco verbum **ad scaenam referendum est,** quod quidem verbum usum intransitivum paucis tantum locis quibus ad scaenam non spectatur servavit, significans sich versammeln: Men. 30 (abs.). Poen. 340 *(eo)*. Trin. 551 *(quo)*.

Saepius autem *convenire* transitive usurpatum est, scilicet nominatur persona quam conveniat altera. Quae exempla omnia afferre nolo, pauca tantum memorabilia mihi esse videntur. Utrum verbum ad scaenam spectet necne nolo quaerere, scilicet plerumque discerni non potest. Eis locis quibus verbum *absolute* usurpatum est, facile ex

praecedentibus persona subauditur ad quam verbum spectat: Asin. 395, Bacch. 348, 848, Cas. 545 [544], Merc. 562, Mil. 1106, Pseud. 1059.

Ex eis exemplis in quibus *nominatur persona* quam convenit altera, adnotanda sunt ea in quibus aliquis alium convenire vult vel cupit. Duae enim inveniuntur constructiones:

a) aliquem convenire volo: Amph. 1009, Curc. 470, Mil. 171, Truc. 249/50 [49], 283, Persa 301 [*convenire* A, *cum venire* P].

b) aliquem conventum volo: Cist. 704, Curc. 304, 468, Mil. 1138, Trin. 1175. Poen. 1119 et Stich. 127 additur *esse.*

De formis haec adnotanda sunt:

Ter formam breviorem scribendam esse voluit Noetzel, de archaismis . . . diss. Berol. 1908, scilicet: Bacch. 348: *convenam.* Mil. 139: *convenas.* Trin. 583: *convenat.* Cogit enim metrum. Forma futuri *convenibo* extat Cas. 548.

Translate verbum adhibetur:

Curc. 322: *illis conventis sane opus est meis dentibus.* Pseud. 1181: *conveniebatne in vaginam tuam machaera militis?* 177: *ut munera multa huc ab amatoribus conveniant.* 178: *nisi mihi penus annuos hodie convenit.* v. corruptus est. *venit* Bergkius. cf. v. 177.

Saepius verbum occurrit his significationibus: abmachen, vereinbaren, übereinstimmen, stimmen, sich schicken, angemessen sein.

revenire.

Hoc verbum quod ad personam praemonstrandam non usurpatur interdum **ad scaenam spectat.**

a) absolute:

Men. 880: *quaeso si senex revenerit, ne me indicetis* ubi Menaechmus spectatores alloquitur. Rud. 779: *iam ego revenero* (v. om. P).

b) additur *huc:*

Bacch. 1066: *iam ego huc revenero.* cf. Mil. 863, Capt. 447.

Sequuntur ea exempla in quibus verbum **ad scaenam non referendum est.**

a) Uno tantum loco *absolute* usurpatur ita:

Merc. 669: *reveni, ut illum persequar.* Persona rure revenit. Quam etsi in scaenam quoque revenire concedendum est, hoc loco illud *reveni* ad urbem spectat, cum persona rure reveniat et usurpatum sit perf., non praes. Persona hoc loco primum prodit.

b) Compluries *locus indicatur:*

Invenitur *domum*, quod significat *in d. Heimat:* Amph. 188, 644 [42], Bacch. 1048. Additur *huc* quod ad urbem spectat, cum personae peregre reveniant: Most. 57, Trin. 156. Bis additur *domum* quod significat *nach Hause:* Bacch. 431: *inde de hippodromo et palaestra ubi revenisses domum.* Poen. 27 (prol.): *quom eri reveniant domum* ubi *veniant* libri, *reveniant* Bothius. Haec verba ad spectatores, scil. ad servos fiunt et subaudiendum est: e theatro.

Significationem primitivam amisit verbum:

in gratiam: Amph. 942. Stich. 409 *(ex inimicitia).* Bacch. 606: *in eum núnc haec révenit res locum* (sic libri, *nunc haec res venit* Leo). *eum* monosyllabum legendum est, quod non raro fieri demonstravit Birtius, Archiv f. Lex. XV, pag. 86 adnot. Verbum veniendi nullo loco cum subiecto *res* coniunctum invenitur; itaque eo abstineamus necesse est.

pervenire.

Quattuor locis hoc verbum motum indicat, scilicet *motum hominis.* Postremo loco *pervenire* spectat ad urbem in qua fabula agitur:

Curc. 329: *in Cariam.* Merc. 939: *Chalcidem.* Trin. 947: *aps terra ad caelum.* Pseud. 1174: *ex Sicyone huc.*

De rebus usurpatur:

Pervenire *ad aliquem* vel *in potestatem alicuius: ad me:* Curc. 608 (*unde*, scil. anulus). Curc. 632 (*unde*, scil. chlamys et machaera). *ad te:* Men. 1140 (scil. palla). Rud. 1341: *in potestatem meam* (scil. vidulus). In his quattuor exemplis subest notio fortuiti, casu enim haec accidunt. — Subiectum est *cercurus:* Stich. 369: *in portum* (scil. urbis in qua fab. agitur). Similiter Mil. 225: *viam qua cibatus commeatusque ad te et legionis tuas tuto possit pervenire. pervenire* scil. per conclusionem quam fecerunt hostes venire, accedit igitur notio difficultatis. Praeterea poeta

allitterationis causa hoc verbum adhibuisse mihi videtur quae litteris *c* et *t* et *p* efficitur.

Subiectum est *nomen abstractum:*

Rud. 626: *praetorquete iniuriae prius collum quam ad vos pervenat* (*perveniat* libri). Hoc quoque loco forma brevior in fine versus extat (cf. Pseud. 1030 *advenat*). Trin. 93: *sunt quorum ingenia atque animos nequeo noscere ad amíci partem an ád inimici pérvenant* (*perveniant* A, *perveniat* CD, *pervenat* B); cf. locum praecedentem. Exspectaverim: propendeant vel inclinent.

Duobus locis pervenire adhibetur *de sermone vel enarratione:*

Merc. 609: *ad capita rerum perveni.* cf. fragm. adespot. Kock. III pag. 490: *εἶμι γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἤδη τὸν κολοφῶνα τοῦ λόγου.* Trin. 886: *priusquam ad postremum perveneris.*

Verbum *pervenire* nullo loco absolute usurpatum est. Quod ad significationem pertinet, idem plerumque *venire ad locum destinatum* significare adnotandum est.

provenire.

Bis hoc verbum re vera **motum indicat:**

Pseud. 568: *qui in scaenam provenit.* Pseud. spectatores adloquitur, *provenire* adhibetur de histrionibus. Stich. 398: *opinor provenisti futtile.*

Plerumque verbum **translate** usurpatur:

1. subiectum persona est. Rud. 837 et Men. 264: *provenire nequiter.* De partu dicitur: Truc. 385: *bene,* 516: *recte.*

2. subiectum res est. Most. 614: *cuncta sine malo.* Persa 456: *rem bene.* Saepius invenitur *bene evenire* quam *bene provenire.* Capt. 222 [23]: *id palam.*

Uno tantum loco, Pseud. 568, invenitur indicatio loci, reliquis in exemplis verbum absolute usurpatum est (cf. *prodire* pag. 46).

devenire.

Verbum **nullo loco ad scaenam spectat.**

Plerumque *nominatur persona* ad quam devenit altera:

Aul. 317: *ad praetorem plorabundus devenit.* Adde Bacch. 318: *ad Theotimum.* Pseud. 287: *ad danistam.* Rud. 44: *ad lenonem.* 957 [56]:

ad furem. Mil. 96 [prol.]: *quo modo ad hunc devenerim in servitutem ab eo cui servivi prius* (*devenerit* B^1D, *convenirit* C, *ab eo cui* Merula, *habe oculi* CD, *habeo oculis* B ante corr. *habeo cu* B ex corr.). Hoc loco indicatur et *quo* et *unde* devenerit persona. cf. Rud. 1341: *pervenire* pag. 81, quo tamen loco subiectum res est, non persona.

Bis praeter *personam* additur *domum:* Cist. 301, Epid. 364.

Semel *domum* tantum invenitur: Mil. 1103.

Similiter et alibi locus tantum *quo deveniant* homines indicatur: Most. 968: *ad alias aedis.* Poen. 627: *qua .. ad mare.* Asin. 105, Men. 136: *in insidias.* Duobus posterioribus locis quatenus translate posita sit vox perspicuum est. cf. Mil. 96.

Similiter ubi **subiectum est res:**

Mil. 404: *si ad erum haec res prius † devenerit* (*devenerit* A, *ob oculos* (ex v. 405) *pervenit* C D B^2, *ob oculos creverit* B^1, *venerit* Lorenz et antiqu., *veniet* Leo). Versus corruptissimus est, ad sensum et *pervenire* et *devenire* aptum est. Sed *res venit* non invenitur, semel *res revenit.* vide pag. 81.

Verbum *devenire* absolute usurpatum non invenitur. Quod ad significationem attinet, tribus locis invenitur notio »venire ad rem malam«: Asin. 105, Men. 136, Mil. 96. Supplendum est cogitando »de recta via«: Most. 968. Itaque his quattuor locis *devenire* significat: sine consilio aliquo venire. Notio clandestini et furtivi accedit Bacch. 318.

antevenire.

Ter verbum **motum significat:**

Mil. 221: *antevenit aliqua aliquo aut tu circumduce exercitum* (*anteveniet* B, *aliquos autu* CD, *aliquos aut tu* B, *aut tu aliquosum* Leo). Ut supra Birtius nunc, qui olim Mus. Rhen. 40, 521 sqq. praetulit *anteveniet aliqua aut tu circumduce.* Quod supra Birtium secutus apposui, a librorum lectione vix abest atque sensum aptum efficit; hiatus ante *aut* non offendit; nisi forte pro *aut tu* scribendum est *at tu.* Cum et praecedant et sequantur imperativi *consule, arripe, coge para* e. q. s., non ineptum esse si legatur *anteveni* putaverit quispiam; sed ex illo *aut tu* elucet antea de a l i a persona actum esse. Adnotandum est in 2 versibus seqq. bis opponi hostes et socios Palaestrionis *perduellis, nostris, inimicis,*

tibi. Itaque etiam v. 221 tale oppositum fuisse veridissimile non est, scil. *antevenit* (hostis), *at tu circumduce.* — Most. 1059 [61]: *praeoccupabo atque anteveniam.* Trin. 911: *temperi huic hodie anteveni.* Hoc loco notio prohibendi praevalet.

Significatio principalis oblitterata est:

Cas. 217: *omnibus rebus ego amorem credo et nitoribus nitidis antevenire.* Pseud. 417: *nemo antevenit filio credo meo.*

obvenire.

Semel *motum* indicat: Trin. 469: *si .. opulentus tibi par forte obvenerit.*

Bis *subiectum res est:* Asin. 281: *occasio.* Truc. 521: *labos.*

intervenire.

Motus indicatur: Mil. 1333: *ne interveneris, quaeso.*

Subiectum non est persona: Amph. 940: *irae interveniunt* (941 *eveniunt*).

De eis compositis quae nisi translate non usurpantur *evenire, invenire, subvenire* mihi agendum non est.

Verbum simplex *gradi* quod compluries invenitur merum motum ipsum tantum indicat, neglecta directione *unde* vel *quo* gradiuntur personae. Itaque videamus composita eius.

progredi.

Persona quae in scaenam ventura est **praemonstratur**:

a) absolute:

Cas. 308: *sed progreditur optume eccum Olympio.* 796: *sed eccum progreditur cum corona et lampade meus socius.* Truc. 320: *⟨sed⟩ eccum odium progreditur meum.*

b) accedit *foras* vel *foras intus:*

progreditur foras in fine iamb. sen.: Bacch. 611: Men. 109, Persa 682. Most. 687: *optume eccum aedium dominus foras Simo progreditur intus* (*intus* A, *ipsus* P).

Sequuntur reliqua exempla in quibus *progredi* **ad scaenam spectat:**

a) absolute:

Mil. 610: *progredimini.* Poen. 786: *progredere.* Cas. 862: *progrediri.*

b) directio progrediendi indicatur:

Mil. 817: *progredere ante aedis.*

Bis hoc verbum **motum ipsum** significat atque his quoque locis ad scaenam spectat:

Pseud. 859: *siquo hic gradietur, pariter progredimino* (sic AB, *progredimini* CDFZ). Men. 754: *ut aetas meast . . . gradum proferam, progrediri properabo* (*progredi* libri, *progrediri* Both.).

His duobus locis verbum absolute usurpatum illustratur alio verbo, Pseud. 859 opponitur verbo *gradi*, Men. 754 adiungitur *gradum proferam.*

Verbum *progredi* nullo loco ad scaenam non referendum est, quo quidem verbo in maiore parte exemplorum persona praemonstratur.

De formis adnotandum est tribus locis verbum sequi coniugationem quartam quae dicitur: Cas. 862, Men. 754, Pseud. 859.

egredi.

Hoc quoque verbo saepe **persona** quae e domo in scaenam venit **praemonstratur:**

a) absolute:

Cas. 536: *sed eccum egreditur senati columen* (*progreditur* Muellerus, hiatus causa). Adde Mil. 540, Poen. 576, 613.

b) Accedunt indicationes loci:

foras: Cas. 163 [61]: *atque eapse eccam egreditur foras.* Mil. 1215, Persa 404, Truc. 852, Rud. 79. *egrediuntur foras:* Pseud. 1032. *foras egredier:* Poen. 742. In his exemplis postremo loco excepto *foras* postponitur verbo atque cum eo ultimos pedes versus explet.

Aliae indicationes adduntur: Mil. 987: *ancillula illius est quae hinc egreditur*, *foras* (v. dittogr. ortum esse e v. 986 notavit Seyffert). Adde Poen. 960: *hinc egrediuntur foras* (*hinc* A, *hunc* C, *huc* B D). Rud. 334: *foras e fano egreditur.* Hoc loco *foras e fano* excipitur verbo. *egreditur intus:* Persa 301, Pseud. 132 (*intus* Rittershusius, *p[e]nitus* A P). *hinc* (*hinc foras* supra Poen. 960): Men. 349, Mil. 986 (*hic* corr. Beroaldus). *huc e fano:* Rud. 636 (*efandae* B, *aefand[a]e* C D, corr. Merula).

His locis quibus persona praemonstratur plerumque additur *foras*.

Sequuntur reliqua exempla in quibus verbum egrediendi **ad scaenam spectat:**

a) absolute:

egredere: Curc. 158, Poen. 709. *quid tu egredere:* Most. 419 (*egrederes* corr. Seyffertus). *egredienti:* Poen. 614. *egressum esse:* Rud. 1201.

b) *quo* vel *unde* egrediuntur personae dicitur:

foras: Mil. 1010: *quoius causa* * * *foras sum egressa.* Adde Amph. 1079, Curc. 466. Stich. 738 [37]: *ad amicos tuos foras egredere. Unde egrediantur* homines indicatur: Aul. 79: *domo,* Most. 3: *ex aedibus,* Epid. 380: *lubentius quam abs te sum egressus intus.*

Duobus tantum locis verbum **ad scaenam non spectat:**

Men. 401: *prandi in navi, inde huc sum egressus.* Hoc quidem loco persona illa e navi egressa est, ceterum ubique intellegendum est *egredi e domo.* Merc. 821: *uxor virum si clam domo egressa est foras.* Hic v. sententiam generalem continet, de certo loco non cogitatur.

Verba egrediendi et progrediendi quae plerumque ad personam praemonstrandam et de persona quae in scaenam prodit adhibentur translate usurpata non sunt.

Inter progrediendi et egrediendi usum ea statuenda est diversitas quod verbo progrediendi semper pronuntiatur persona de qua antea non locutus est is qui verba facit, itaque in his exemplis persona plerumque ipso nomine appellatur, at verbo egrediendi saepius inducitur persona de qua brevi ante vel tunc ipsum verba facta erant, itaque sollemne est illud: sed ipsa egreditur. Talia in verbi progrediendi exemplis non inveniuntur.

De verborum *egredi* et *progredi* significationis diversitate conferre licet verba *exire* et *prodire* pag. 46 sq. Verbum egrediendi magis ad egressum e d o m o referendum esse statuerim, verbum progrediendi magis ad progressum i n s c a e n a m. In alterius verbi significatione praevalet igitur notio *unde,* in alterius notio *quo.*

Vidimus verbi prodeundi personam primam non inveniri; idem valet quod hoc verbum numquam usurpatur a persona ipsa quae progreditur.

Verba exeundi et prodeundi satis saepe ad scaenam non spectant, verbum progrediendi vero semper, verbum egrediendi duobus locis exceptis ad scaenam refertur.

De omnibus verbis quae egressum in scaenam significant in fine dissertationis in universum breviter agendum est, nunc ad alia properare tempus monet.

ingredi.

Semel **praemonstratur persona** quae in scaenam venit:

Trin. 840ᵃ [840]: *sed quis hic est qui in plateam ingreditur cum novo ornatu* (852: *eo ornatu advenit*). Persona ad quam haec verba spectant peregre se advenire fingit. Ex versu 840 ipso subaudiverit quispiam *e domo.*

Praeter hunc locum semel tantum verbum ingrediendi **ad scaenam spectat:**

Pseud. 959: *ingredere in viam dolose: ego hic in insidiis ero.* Simia quem adloquitur Pseudolus a foro (561) rediit in scaena praecedente atque l. l. in scaena iam versatur. Ex illis *ingredere in viam* efficitur Simiam et Pseudolum dum colloquuntur IV, 1 non in platea astare sed ante domum sive in limine domus.

Reliquis locis verbum **ad scaenam non spectat.** Bis praepositio *in* adstructa est verbo:

Poen. 106: *ubi quamque in urbem est ingressus.* Amph. fragm. VIII (XVII): *nilne te pudet, sceleste, populi in conspectum ingredi.* Nonius 454: *ingredi* non solum *intrare* ut est manifesta eius verbi significatio, sed et venire ac se ostendere auctoritate Plauti possumus dicere in Amph. ...

Uno loco sequitur *merus accus.*: Men. 64 (prol.): *ingressus fluvium rapidum.*

Quinque locis verbum **translate** usurpatum est:

Amph. 429: *ingressust viam.* Quod significat er hat es geraten, gefunden, ingressus est rectam viam. Persa 1: *ingressus est princeps in Amoris vias.* Poen. 654: *ingrediuntur docte in sycophantiam.* Persa 607: *in proelium vide ut ingrediare auspicato* (*in proelium* A, *inproe* B, *impera* CD). Rud. 667: ⟨*quam in*⟩ *partem ingredi persequamur* (*artem* B, *rtem* CD, suppl. Valla) cf. Trin. 93, pag. 82. Sed locus hic nondum sanatus est, *ingredi in partem* offendit; praeterea cum verbo *persequi* in fabulis Plautinis non coniungitur infinitivus.

Adnotandum est hoc verbum nullo loco adhiberi de intrante in domum (cf. Noni locum supra allatum), quin etiam nullum inveniri exemplum in quo *ingredi* significet: intrare in aedes vel alium locum circumclusum, nisi forte Poen. 106 *urbem* talem locum esse volumus.

Verbum ingrediendi quia significat betreten, eintreten (plerumque in viam) propterea nullo loco absolute usurpatum est. Itaque Pseud. 1299 quod tradunt Palatini *incedere* in textum recipiendum est (*ingrediri* A, Goetz. et Schoell.).

adgredi.

Hoc verbum ita ut verbum adeundi de eis adhibetur qui **eum qui in scaena astat adgrediuntur.**

a) absolute:

Persa 788: *adgrediar.* 15: *congrediar.* || *contra adgredibor* (sic A, *adgredior* P). *contra adgredibor* idem valet quod *congrediar.* Loco laudato personae quae alia ad aliam adeunt identidem similibus verbis utuntur.

b) Persona inducitur mero accus.:

Asin. 714: *istunc amoves abs te atque † ipse me adgredere* (*adgredire* D ante corr. *atque ad me adgredire* Langenus). De Langeni sententia cf. pag. 90. *adgrediar hominem:* Epid. 126, Mil. 169, Stich. 583, Trin. 45. *adgrediar hominem, appellabo:* Most. 1074. *adgrediar virum:* Persa 481.

c) legitur praepositio *ad*:

Asin. 680: *quin ad hunc .. adgredimur.*

Omnibus in exemplis adhuc allatis verbum adgrediendi **motum in scaena ipsa euntium** significat. Sequuntur nonnulla exempla in quibus ad scaenam quidem referendum est, sed praevalent aliae notiones:

Asin. 25: *ita me obstinate adgressu's* i. e. urguere. Merc. 384: *quin ego hunc adgredior de illa?* i. e. colloqui. Trin. 963: *adgrediundust hic homo mi astu* i. e. anfassen, behandeln. Poen. 1223: *sed ut astu sum adgressus ad eas* (*ad eas* AB, *eas* CDFZ) i. e. adloqui. Bacch. 1151: *ego ad hunc iratum adgrediar* quod significat ich will mich an diesen halten, diesen auf mich nehmen.

Duobus posterioribus locis verbum intransitive, reliquis autem transitive usurpatum est. Ceterum cf. Thes. L. L. I, 1315 seqq.

Uno tantum loco homines adgrediuntur *ad aedes:*

Truc. 252: *ubi quamque nostrarum videt prope hasce aedis adgrediri* (sic A, *aedis hac si adgredias* P).

Bis verbum **ad scaenam non refertur:**

Cist. 313: *ut quo⟨m Ven⟩us adgreditur ⟨place⟩t.* sic Leo non bene. —VSADIREDETVR—T extat in A. Forma adgrediendi ne ipsa quidem certa est. Indicatio directionis adgrediendi desideratur. Curc. 338: *adgredior hominem* (in narratione).

Denique ea exempla afferam in quibus verbum **translate** usurpatur:

Merc. 248: *ad me haedus visust adgredirier.* Rud. 601: *videtur ad me simia adgredirier.*

In quattuor exemplis homines adgrediuntur ad rem faciendam (cf. Thes. L. L.): Persa 558, Rud. 299, Truc. 458, 461.

Subiectum persona non est: Men. 237: *oras ... qua adgreditur mare.*

Uno tantum loco, Men. 237, certam formam tertiae quam dicimus coniugationis inveniri in Thes. L. L. I, 1315 adnotatum est. At vero in exemplis ibi allatis desideratur Truc. 458, contra delendum est Pseud. 10: *hunc dolo adgreditur .. Pseudolus,* quippe qui v. non in fabula ipsa sed in argumento II. extet.

Verbum adgrediendi plerumque ad scaenam referendum est atque motum indicat. Uno loco additur *appellabo*, Most. 1074, uno verbum ipsum notionem adloquendi habet, sed numquam additur *verbis*.

Denique Langeni sententia quam protulit Beiträge p. 100 sq. ita corrigenda est: subst. quidem semper additur adhibito mero accus., pronomen vero aut accus. mero aut accedente praepositione *ad*. cf. adire.

congredi.

Hoc verbum ita ut *adire* et *aggredi* ad **motum in scaena euntium** indicandum usurpatur:

a) absolute:

congrediar (fut.): Aul. 814 [813], Persa 15, Curc. 234, Most. 783. *congrediar* (coni. pr.): Epid. 543. *congredere*: Mil. 1266, Bacch. 980.

b) semel additur persona:

Epid. 546 [545 a]: *hanc congrediar astu.*

Tribus locis **personae non in scaena congrediuntur**:

Aul. 248: *pauper metuit congrediri* (*congredi* libri). Pseud. 580: *ubiquomque hostibus congrediar.* Rud. 1259: *conservo siquo congressus foret*, ubi *cum servo* libri. Quae constructio praeter hunc locum non invenitur, itaque *conservo* scribendum atque *siquo* dativum intellegendum esse (= siquoi) coniecit Birtius. cf. Archiv f. Lex. XV, pag. 74 sq. Constructio *congredi alicui* re vera invenitur Pseud. 580.

Verbum congrediendi omnibus locis notionem motus servavit, uno loco, Pseud. 580, accedit notio: hostiliter invadere.

Tribus locis Aul. 814, Epid. 543, Persa 15 duae personae simul adire volunt, atque ipsae iam antea eadem fere verba protulerunt nec minus l. l. similibus verbis utuntur. Ex his exemplis effici potest significationem verborum *adire* et *aggredi* et *congredi* non multum differre, scilicet quod ad partem scaenae ad quam singula verba

spectant attinet differentiam statuendam non esse. Tamen aliquam diversitatem extare sub finem totiusa disserttionis monebo.

regredi.

Semel hoc verbum **ad scaenam spectat**:

Aul. 46: *illuc regredere ab ostio* (*regrede* BDE, *regredere* IE[3]FZ *recede* Goetzius). cf. Samia Menandri v. 89: *ἴϑι δεῦρ' ἀπὸ τῆς ϑύρας.*

Semel **translate**:

Capt. 1023: *nunc edepol demum in memoriam regredior audisse me* (cf. redire in memoriam).

degredi.

Hoc verbum bis invenitur nec nisi **translate**:

Cas. 675: *sciens de via in semitam degredere* (*degredire* Bentl.). cf. decedere. Mil. 185 b [a]: *ut nequoquam de ingenio degrediatur muliebri* (v. om. P).

cedere.

Personae de quibus agitur **in scaena** versantur vel in scaenam prodituraе sunt:

a) absolute:

Pseud. 955: *illuc sis vide, ut transvorsus, non provorsus cedit, quasi cancer solet.* Haec verba ad personam spectant quae e domo in scaenam proditura est. Tamen persona illa non verbis laudatis praenuntiatur sed iam v. 953 nomen eius prolatum est, v. 955 autem quo modo leno prodeat indicatur. Cas. 446: *at candidatus cedit hic mastigia.* Persona de qua agitur iam v. 435 praemonstrata est. Men. 1018: *quia postremus cedis.* Is ad quem haec verba fiunt abire iussus est. Pseud. 308: *inanis cedis, dicta non sonant.*

b) directio cedendi indicatur:

Cas. 443: *recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. recessim cedere* i. e. *recedere.* Hoc loco motus qui ab alia parte scaenae ad aliam partem fit significatur. De sententia ipsa cf. Pseud. 955 (supra).

Duo versus in narratione extant, in quibus verbum **ad scaenam non spectat:**

Aul. 517: *cedunt, petunt* (521 *incedunt*). 526: *ad postremum cedit miles.*

Bis verbum **translate** usurpatum est:

Amph. 546: *te nox .. mitto, uti cedas die* (*diei* libri). Capt. 352: *hoc cedere ad factum volo.*

Semel tantum directio cedendi indicatur: Cas. 443.

Omnibus locis quibus verbum ad scaenam referendum est inveniuntur additamenta plerumque adiectiva quae ad habitum cedentium vel modum atque rationem eundi spectant. Ibidemque verbum ubique m e r u m m o t u m neglecta directione eundi significat. Pseud. 308 *cedere* idem fere significat quod *esse*. Concedendum quidem est Pseud. 955 notionem veniendi, Cas. 443 notionem adeundi, Men. 1018 abeundi subaudiri.

Duobus locis quibus verbum ad scaenam non spectat personae non describuntur, neque ibi verbum merum motum indicat sed idem significat quod *adire*.

incedere.

Persaepe hoc verbo **persona** quae in scaenam prodit **praemonstratur.**

a) absolute:

Bacch. 393: *sed eccum video incedere.* v. secl. Langen. cf. Bacch. 403: *sed eccos video incedere.* Adde Cas. 562, Curc. 676/78 [76], Epid. 608, Men. 888, Merc. 671, Poen. 470, Rud. 492, Stich. 527, Mil. 1281.

Omnibus locis praemittitur *eccum* vel *eccam* vel *eccos*. Habitus personae quae in scaenam prodit postremo tantum loco describitur *ornatu quidem thalassico*. — Sequuntur nonnulla exempla in quibus non additur *eccum* similiave.

Asin. 403: *atque hercle ipsum adeo contuor, quassanti capite incedit.* Merc. 600: *tristis incedit* (*cedit* Bothius). (598: *sed isne est quem currentem video*). Mil. 872: *quam digne ornata incedit.* Poen. 577: *basilice exornatus incedit* (*incedit* P, *cedit* potius quam *incedit* A, Bothius). Epid. 102: *cum Chaeribulo incedit aequali suo.* Most. 311: *is est: Callidamates cum amica incedit.*

Horum exemplorum id proprium est quod personam quandam advenire iam brevi ante indicatum erat atque ipso verbo incedendi vel habitus describitur vel quocum personae veniant additur. Duobus posterioribus locis notio adveniendi servata esse mihi videtur, reliquis autem verbum significat einhergehen, neglecta directione eundi, quin etiam Asin. 403 excepto eius notio accedit ad notionem *esse*.

Nonnullis locis *cedit* pro *incedit* coniecerunt viri docti, metri causa. Quam quaestionem impeditam ego hic diiudicare nolo. Contra ea quae coniecit Leo, Plaut. Forsch. cap. V cf. Aug. Brinkmann ‚de copulae *est* aphaeresi'. diss. Marp. 1906.

b) ubi personae in scaenam prodeuntes praemonstrantur *additur indicatio loci:*

Semel additur *unde* incedat persona: Aul. 473: *sed Megadorus .. eccum incedit a foro.*

Saepius *quo* incedat dicitur: Capt. 997: *sed eccum incedit huc ornatus.* Adde Most. 1120, Pseud. 411, Most. 310, Poen. 619. Persa 200: *med advorsum incedit.*

Bis persona quae incedit antea in scaena versata erat, loco allato **ad aliam scaenae partem transit:**

Amph. 335: *optume ecce incedit ad me.* Illud *incedit ad me* significat er schlägt den Weg ein in der Richtung, wo ich stehe. *accedit* significabit er geht auf mich zu, scilicet: consilio. Contra illud *incedit* notionem fortuiti habet. Trin. 1151: *quis hic est qui huc ad nos incedit.* Re vera Lysiteles ad quem haec verba spectant l. l. non in scaenam venit sed post v. 1124 paululum concessit atque iam ex occulto prodit, senes autem illum l. l. demum advenire putant Lysitelesque se iam venire fingit illos salutans.

In eis exemplis quae sequuntur verbum incedendi adhibetur **de persona quae in scaenam venit,** sed non ita ut ipsa praemonstretur.

a) absolute:

Amph. 119: *ornatus in novom incessi modum* (117: *huc processi*). Hic v. in prologo extat. Intellegendum est: incessi in scaenam, *incedere* hoc loco terminus technicus esse videtur adhibitus de histrionibus. Curc. 533: *non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia.* Adde Truc. 463, Asin. 705. Cas. 726: *incessisti* (*cessisti* Muellerus). Mil. 897, Asin. 405 (*incedit* libri, *cedit* Scal.). Aul. 47: *illuc sis vide, ut incedit.* Intellege: ut tarde incedit. Staphyla brevi ante in scaenam extrusa atque v. praecedente *ab ostio regredi* iussa est. Poen. 987. Pseud. 1299: *audaciast te cum corolla ebrium incedere* (sic P *ingrediri* A) vide supra pag. 88. Mil. 1286. Amph. 330: *vix incedo inanis ne ire posse cum onere existumes.* cf. Pseud. 308: *inanis cedis.*

His quoque locis saepenumero *cedere* pro *incedere* restituere conati sunt viri docti metri causa.

Uno loco *incedere* dicitur **de persona quae non in scaenam venit:**

Bacch. 1069: *evenit, ut ovans praeda onustus incederem (cederem* Scal.). Chrysalus loco allato *praeda onustus* domum rediturus est, scilicet modo a Nicobulo sene ducentos nummos accepit. Itaque *incedere* idem fere atque *esse* valet.

b) Ter inveniuntur *indicationes loci*:

Merc. 367: *unde incedis?* (cf. *unde is*). Cas. 240: *per vias.* Most. 998: *a foro incedo domum.*

Alibi verbum incedendi **ad scaenam non spectat.**

a) absolute:

Aul. 521: *cum incedunt infectores* (507 *cedunt*). v. in narratione extat, incedunt = adeunt. Tribus locis verbum significat einherschreiten, umher stolzieren: Curc. 289: *qui incedunt suffarcinati cum liberis (quin cedunt* libri, corr. B[a]). 291: *incedunt cum suis sententiis. occedunt* Bothius, *incedunt* suspectum est Leoni, quia idem iam v. 289 legitur; vide pag. 103. 294: *tristes atque ebrioli incedunt.* Poen. 10 (prol.): *est stultitia sessum impransum incedere* scil. in theatrum. Pseud. 1275: *palliolatim amictus sic † incessi ludibundus* (*hac incessi* Both., *hec* B, om. CD, *dehinc cessi* Scal.). Pseud. convivium narrat; *incedere* hoc loco idem significat quod *intrare. haec* scribi non potest, nam verbum incedendi transitive non usurpatum est; *hac* non falsum erit, cf. Mil. 92: *quaqua incedit.*

b) via vel locus indicatur:

Curc. 31: *caute ut incedas via. per vias:* Epid. 226, Merc. 406. Mil. 92: *quaqua.* Poen. 647: *domum* (incedet = redibit).

Semel verbum **notionem eundi amisit:**

Rud. 693: *malitiae lenonis contra incedam.*

Si ad verbi incedendi usum retrospectamus, saepe hoc verbo personam praemonstrari videmus. Idem in maiore parte exemplorum ad scaenam referendum est.

Significatio verbi *incedere* accedit ad verbi simplicis *cedere*, non raro enim verbum motum ipsum neglecta directione incedendi indicat. Talibus in exemplis semper fere habitus incedentium describitur. Praeterea autem verbum saepe adventum indicat. Longe maiorem partem obtinent ea exempla in quibus verbum absolute usurpatum est.

procedere.

Numquam hoc verbum refertur ad personam quae in scaenam proditura est, nisi ita, ut ipsa loquatur.

Quater *procedere* idem significat quod *exire*, **prodire in scaenam:**

Amph. 117 (prol.): *quod ego huc processi sic cum servili schema* (*praecessi* Nonius). Asin. 6 (prol.): *quid processerim huc et quid mihi voluerim dicam.* Capt. 649: *ut .. in medium ego hodie pessume processerim.* Pseud. 606: *ego precator et patronus foribus processi foras.*

Amphitruonis fabulae prologus a Mercurio profertur qui e domo Amphitruonis ubi Iuppiter versatur (v. 131) exiit (v. 17: *quoius iussu venio*, v. 50: *quam rem oratum huc veni*). Asinariae prol. a figura Prologi pronuntiatur. Similibus locis reliquorum prologorum invenitur verbum *venire* ut exempla afferam Amph. 17, 50, 130, Rud. 31, Truc. 9. Itaque prologum e d o m o exire statuendum est. Capt. 649 *in medium* significat in die Öffentlichkeit. Pseud.

606 fortasse allitteratio qua iteratur littera *p* ad verbum *procedere* adhibendum contulit.

Bis verbum **motum qui in scaena ipsa fit** describit:

Capt. 954: *age tu illuc procede.* Persona quae procedere iubetur iam in scaena praecedente tacita aderat. Mil. 828: *procede huc.* Lurcio puer ad quem haec verba fiunt a v. 817 cum Palaestrione collocutus est, sed fortasse post scaenam ipsam stabat (cf. Bethe Prolegomena pag. 311) atque l. l. in scaenam procedere iubetur. Fortasse Capt. 954 eodem modo intellegendus est.

Tribus locis verbum **ad scaenam non spectat.** His locis non egressum e loco circumcluso significat, sed motum qui ad aliquem locum fit:

ad forum (cf. *prodire ad f.* Men. 213): Cas. 564. *in conspe⟨ctum sui patris pr⟩ocedere* (suppl. Ritsch., *occedere* CD): Most. 1125 (cf. *prodire in consp.* et *occedere* pag. 103). *ad portum:* Poen. 650.

Translate *procedere* adhibetur:

Amph. 463, Capt. 467, Cas. 805, Mil. 947, Most. 735, Persa 452, Poen. 817, Rud. 90, Stich. 484, 495 quibus in exemplis intellegitur ablaufen, gelingen. Most. 999: *numquid processit ad forum hodie novi.* Persa 115: *negotium . . totum procedit diem.*

Verbum procedendi absolute non usurpatum est. Atque nullo loco indicatur u n d e personae procedant, semper autem q u o procedant.

Similiter usurpatur *prodire* quod et progressum e domo in scaenam et motum ad alium locum actum indicat, a quibus differt verbum *progredi* eo quod non nisi ita usurpatur, ut ad scaenam spectet.

abscedere.

Hoc verbum adhibetur **de eo qui locum quo stat in scaena commutat:**

a) absolute:

Amph. 984: *concedite atque abscedite omnes, de via decedite.* Adde Aul. 55, Most. 468 (canes abscedere iubentur).

b) additur *unde* personae abscedant:

Capt. 213: *abscedite hinc: nos concedamus huc.* Adde Most 7 et 460: *ab aedibus,* 8 et 512: *ab ianua,* Most. 467: *illinc* (de canibus dicitur).

c) Et *unde* et *quo* homines abscedant indicatur:

Mil. 200: *hinc abscessero abs te huc interim.* Persa 467 et 727: *illuc procul e conspectu.* v. 467 et 68 secl. Uss., redeunt v. 727 et 728.

d) *quo* abscedant personae additur:

Asin. 925: *abscede ergo paululum istuc.* Trin. 625: *huc aliquantum apscessero.*

In eis exemplis in quibus *abscedere* motum ab alia parte scaenae ad aliam partem euntium indicat plerumque invenitur imperativus *abscede.* Illud *hinc* Capt. 213 et Mil. 200 non ad scaenam referendum est sed ad partem tantum eius. Item Persa 727. Duobus locis quibus additur *quo* personae abscedant, inveniuntur adverbia ex quibus elucet personas non omnino abire: *paululum* et *aliquantum.* cf. Aul. 55: *etiam nunc, etiam nunc.*

Ad ea exempla transeamus in quibus *abscedere* **abitum a scaena** significat.

a) absolute:

Cas. 835: *iamne abscessit uxor?* Adde Poen. 799. Truc. 884: *ille quidem hinc abiit, abscessit, dicere hic quidvis licet* (*ascessit* B, *accessit* CD). cf. abire. *hinc* et cum *abscessit* coniungere licet. Mil. 1198, Asin. 420, Poen. 1243, 801, Trin. 710.

b) indicationes loci inveniuntur:

hinc: Asin. 469: *aufer te domum, abscede hinc.* Adde Asin. 939, Mil. 586, Poen. 376, 805 (*intro*). *meo e conspectu:* Capt. 434. *a me:* Poen. 364.

Duobus locis, Poen. 364 et 376, praeter notionem abeundi invenitur notio vituperationis. cf. Asin. 420 et Poen. 1243 supra allatos.

Plerumque additur *hinc* quo scaena significatur. Semel tantum *quo* homines abscedant indicatur. Poen. 805 *hinc intro,* quo loco praeterea *unde* abscedat persona additur.

Homines **non a scaena** abscedunt:

Cas. 627: *apscede ab ista* (*apsede* A). Epid. 237: *ego abscessi sciens paulum ab illis.* cf. supra Trin. 625 et Asin. 925. v. in narratione extat. Rud. 66: *navis longe in altum abscesserat.*

Verbum **translate** usurpatum est:

Subiectum res est: Epid. 285: *repperi haec te qui abscedat suspicio*, ubi falsus casus est *te*, flagitatur *abs te;* videtur legendum *repperi abs te qui abscedat suspicio;* ita Birtius; fortasse melius idem: *repperi ecce qui absc. susp.* Adde Merc. 140: *aegritudo.* [372] et 389: *morbus.* Rud. 1190: *aegrimonia.* Trin. 745: *lubido.* Persa 670: *minae.* Uno loco quo *subiectum est persona* notio *eundi* non omnino quidem desideratur, at praevalet notio devotionis, Men. 849: *ni a meis oculis abscedat in malam magnam crucem* (cf. abire).

Sub finem hoc monemus, non raro verbum *abscedere* ad certam tantum partem sçaenae, non ad totam scaenam referendum esse, quibus locis significat zurücktreten. Atque talibus in exemplis illud *cedere* quod significat weichen subaudiri puto. Verbum abeundi quod in universum multo saepius invenitur quam verbum abscedendi, tribus tantum locis ita usurpatur.

accedere.

Duobus locis hoc verbum **adventum in scaenam** significat atque additur, *huc* i. e. in scaenam:

Amph. 1001: *quom huc accesserit.* Persona de qua agitur in scaena non adest. Stich. 711: *modo nostra huc amica accedat.*

Multo saepius verbum **ad certam tantum partem scaenae spectat,** scilicet homines qui accedunt iam in scaena adsunt.

a) absolute:

Most. 717, Poen. 1387: *accedam.* Rud. 836: *[non] accedam* (secl. Reizius, *non cedam* Seyffertus). Adde Bacch. 774, Most. 543, Amph. 515, Truc. 478.

b) *propius* vel *prope* invenitur:

Cas. 577, Merc. 708: *accedam propius.* Cas. 577 persona quaedam alteram statim adit, quamquam *propius* tantum accedere voluit, Merc. 708 autem persona re vera *propius* accedit, adit tamen postea demum (v. 713).

Rud. 788: *quid agas si accedent propius?* (*acc. prop.* A B, *prop. acc.* C D). 708: *iube modo accedat prope.*

c) Saepe additur *huc* atque plerumque imperativus:

Curc 623, 627, 702, Men. 432, Rud. 785, 1148, 1332, Bacch. 834, Cas. 965, Truc. 620 (*hunc* libri, sequitur *adi huc modo*): *accede huc.* Most. 689: *tum accedam huc, quando ... invenero* (*huc* A C B[2], *hunc* B[1]D, Ritschel., Leo). *huc* scribendum est, cum nullo loco Plautus verbum accedendi transitive usurpaverit. cf. Truc. 620 modo allatum et Amph. 264 infra. Trin. 710: *eodem pacto quo huc accessi apscessero.* Stasimus post v. 626 *aliquantum* abscessit.

d) Ad *huc* etiam *aliae indicationes* loci adduntur:

Amph. 264: *neque ego huc (hunc ς) hominem hodie ad aedis has sinam umquam accedere.* Aul. 442: *si ad ianuam huc accesseris ... propius.* Rud. 480: *accedam huc ad fores.*

e) alio modo locus indicatur:

Most. 446: *quis homo est qui nostras .. aedes accessit prope?* Rud. 1202: *accedam, opinor, ad fores.* Truc. 289: *ad fores nostras .. eo ausa accedere.* Persa 575: *ego illo accessero.*

Omnibus his locis personae ad partem quandam scaenae accedunt, multo rarius **ad homines:**

Mil. 1270: *si accesserit prope ad te* (1266: *congredere*, 1268: *adire*). Adde Men. 857: *propius ad me.* Mil. 494: *ad hominem.* Persa 650: *hoc ad me* (*huc* P, *hoc* A). Persa 764 et Rud. 242: *ad me.* Rud. 787: *ad te.*

Paucis locis verbum **ad scaenam non spectat:**

a) absolute:

Capt. 11 (prol.): *negat hercle ille ultimus* (scil. tenere). *accedito.* Prologus spectatorem quendam adloquitur. Cas. 697: *nemo audet prope accedere.*

b) locus indicatur:

Capt. 478: *ad adulescentes in foro.* Asin. 799: *ad vinum.* Epid. 248: *vorsum ad illas pauxillatim.* Pseud. 312: *ad me cum .. querimonia* (cf. Men. 785: *ad me iretis cum querimonia*).

Translate verbum usurpatum est:

1. subiectum persona: Epid. 149: *ego istuc accedam periclum potius atque audaciam.* Trin. 121: *in .. infamiam.*

2. subiectum res: Amph. 550: *dies e nocte accedat.* Men. 82, Merc. 148: *malum.* Merc. 24: *haec.* 674: *servitus.* Persa 669, 670: *minae.* Amph. 709: *stultitia.* Aul. 383: *animus.*

Denique haec adnotanda sunt: de adveniente in scaenam ea verba quae verbo *accedere* respondent, scilicet *adire, aggredi* non adhibentur, verbum accedendi bis ita usurpatum est.

Ut verba *adire, aggredi, congredi,* ita verbum accedendi plerumque motum qui ab altera parte scaenae ad alteram partem fit significat. Nimirum idem significat quod *appropinquare.* Transitive non usurpatum est, qua constructione notionem alloquendi exprimi supra diximus (cf. adire). Eodem tendit quod verbum accedendi saepius de appropinquante ad l o c u m quendam quam de aditu ad p e r s o n a m adhibetur. Contra verba *adire* et *aggredi* plerumque, quin etiam semper fere, aditum et adgressum ad p e r s o n a m indicant.

concedere.

Hoc quoque verbum **locum in scaena ipsa cum alio loco commutari significat:**

a) absolute:

Rud. 1036: *dum concedo et consulo.* Men. 1086: *huc concede.* || *concessi.* Amph. 984: *concedite atque abscedite omnes, de via decedite.* 990: *mihi par est via decedere et concedere.* Duobus posterioribus locis verbum praegnanter dictum est, significans bei seite treten, aus dem Wege gehen, idem quod: de via decedere.

b) si *locus indicatur* semper fere invenitur *huc:*

Bacch. 610, Epid. 103, Pseud. 414, Cas. 434, Most. 575, 687, Trin. 517, 1007, Capt. 213, 215a, Men. 158, 570, 822, 1086, Mil. 985, Rud. 1403.

c) ad *huc aliae indicationes* adiciuntur:

Aul. 666: *tantisper huc ego ad ianuam concessero* (*huc* Lambinus, *hic* libri). Most. 429: *a foribus huc.* Men. 158: *huc a foribus.* Men. 835 [834]: *huc .. ab istoc quam potest longissume.*

d) bis occurrit *istuc:*

Asin. 646, Persa 609 (*istuc* A, *sis iam* P).

e) Semel *unde* persona concedat indicatur:

Men. 159: *Etiam nunc concede audacter ab leonino cavo.*

Verbum **abitum a scaena** indicat:

Persa 50: *ego aps te concessero.* || *iamne abis?* Pseud. 571: *concedere aliquantisper hinc mi intro lubet.* Truc. 386: *concedite hinc vos intro.*

Semel **ad scaenam non spectat:**

Epid. 681: *num oculis concessi tuis* (*a tuis* Beckerus, sed cf. infra Amph. 276).

Translate verbum imprimis invenitur his significationibus: zugeben, erlauben, nachgeben. Semel tantum aliam significationem inveni:

Amph. 276: *neque nox quoquam concedit die* (*diei* libri).

Plerumque hoc verbum significat aliquam personam aliquantum abscedere in aliam partem scaenae. Non raro illa ab aliis qui in scaenam prodeunt conspici non vult atque ea de causa *concedit,* subaudiendum est: in occultum (Mil. 985 additur *clanculum.* Men. 570 sequitur *ex insidiis aucupa*). Uno tantum loco, Men. 835, a p e r s o n a concedit homo, ubi tamen praeterea additur *huc.*

Imperativum *c o n cede huc* intellegendum esse *m e c u m abscede huc* efficio ex duobus fragmentis com. graec., Kock. III pag. 370 nr. 45: *ἀλλὰ δεῦρο σὺ ξυνείσιθι ἐμοί* (cf. concedere intro Truc. 386) et II, fragm. Axionici, Dionysios fragm. 3, v. 20: *μέμνησο τῶνδε καὶ βάδιζε δεῦρ' ἅμα.*

Praeterea cf. *secedere* verbum quod sequitur.

secedere.

Motum in scaena ipsa indicat:

Amph. 771, Asin 639: *secede huc.* Capt. 218 [219]: *secede huc nunciam .. procul, ne arbitri dicta nostra arbitrari queant.* 263: *secede huc nam sunt quae ex te solo scitari volo.*

Omnibus locis invenitur imperativus atque additur *huc.* Verbum idem significat quod compositum *concedere* in maiore parte exemplorum, scilicet bei seite treten. Sed cum verbum concedendi non raro exprimat personam

e conspectu alterius abire, verbum secedendi indicat personam non nisi tantum spatium ab aliis abire, ut ab illis audiri nequeat. Is qui aliquem iubet *secede huc* magis ut recedat ab aliis personis curat, qui vero dicit *concede huc* magis aditum ad se ipsum. Utrobique autem persona quae iubet ipsa etiam concessit vel iam antea a parte stabat.

recedere.

Personae quae recedunt in scaena adsunt:

a) absolute:

Rud. 788: *ego recessero* (praecedit *quid agas, si accedent propius?*).

b) Alibi locus indicatur:

Capt. 551: *proin tu ab istoc procul recedas.* Adde Mil. 357: *aps te procul.* Rud. 786: *illuc.* Bacch. 579: *hinc.* Poen. 611: *pone nos recede.* || *fiat.* || *nos priores ibimus.* Haec spectant ad ordinem quo homines eunt, reliquis locis *recedere* oppositum est composito *accedere.* Bis additur *procul* quod respondet illi *propius* quod ad verbum accedendi addi solet.

Semel **recessio non in fabula ipsa fit:**

Amph. 239: *nec recedit loco* (in narratione).

Uno loco **subiectum non est persona:**

Merc. 73: *postquam recesset vita patrio corpore* (*recessit* libri, corr. Lambin.).

occedere.

Personae quae occedunt vel quibus occedit altera ter **in scaena adsunt:**

Asin. 404: *quisque obviam huic occesserit irato vapulabit.* 412: *ne tu hercle cum magno malo mihi obviam occessisti.* Pseud. 250: *occedamus hac obviam* (*accedamus* libri, *occedamus* Passeratius).

Semel verbum **in narratione** extat:

Trin. 1138: *mi advenienti nugator quidam occessit obviam* (*accessit*, corr. Gulielmius).

Semel **subiectum est res:**

Stich. 675 [672]: *bona scaeva strenaque obviam occessit mihi.*

Omnibus locis additur *obviam,* Pseud. 250 praeterea *hac.* Itaque praefixum *ob* in obcedere distincte persentiebat poeta. Qua de causa *occedere* falsum est Most. 1125 (pag. 96) et Curc. 291 (pag. 94). Verbum accedendi quod bis libri tradunt pro recta forma *occedere* nullo loco cum *obviam* coniunctum est.

Uno tantum loco, Pseud. 250, notio *sine consilio, fortuito,* quae reliquis locis invenitur, desideratur.

excedere.

Semel re vera **motum** indicat atque **in scaena** quidem factum:

Aul. 57: *si hercle tu ex isto loco digitum transvorsum aut unguem latum excesseris.*

Translate usurpatur:

Bacch. 148: *iam excessit mi aetas ex magisterio tuo.* Merc. 61: *ex ephebis postquam excesserit* (*excesseris* libri). Donatus ad Ter. Andr. 51: excedere ex ephebis | cum sufficeret unum ,ex'. Tales adnotationes saepe inveniuntur in Donati commento.

decedere.

Utrum verbum **ad scaenam** spectet an **ad alium locum** nullius momenti est.

Ter *personae cuidam* decedit alia:

Amph. 987: *ni decedat mihi.* Merc. 117: *properanti haud quisquam dignum habet decedere.* Bacch. 107: *simul huic nescio cui, turbari qui huc it, decedamus* * * (v. secl. Ritsch.).

Ter additur *de via,* semel *via,* duobus posterioribus locis persona cui decedit altera indicatur:

Amph. 984: *concedite atque abscedite omnes, de via decedite.* Curc. 281: *fugite omnes, abite et de via decedite* (*secedite* corr. Ritsch.). Trin.

481: *decedam ego illi de via, de semita.* Amph. 990: *mihi .. par est via decedere et concedere.*

Verbum significationem praegnantem habet Platz machen, aus dem Wege gehen.

intercedere.

Semel hoc verbum **motum** indicat:

Most. 1106: *huc siquis intercedat tertius* (*intercedas* B[1] C D). cf. Mil. 1333: *ne interveneris, quaeso.*

Subiectum non est persona:

Curc. 5: *si status condictus .. intercedit dies.*

discedere.

Hoc verbum bis **motum** indicat:

Asin. 251: *iam diust factum, quom discesti ab ero atque abiisti ad forum.* 603: *Ne iste hercle ab ista non pedem discedat.* cf. Aul. 57 excedere.

Accedit notio defungi, evadere:

Stich. 395: *discessisti non bene* (*discessisses non male* P).

Composita *succedere, praecedere, antecedere, coaccedere* quae paucis locis inveniuntur semper translate usurpata sunt. De quibus non habeo quod commemorem.

Iam verbis *ire, venire, gradi, cedere* eorumque compositis pertractatis in fine breviter quae verba singulos motus, quos poeta in scaena repraesentavit, indicent compono.

Adventum in scaenam significant (numeri uncis circumclusi quotiens persona praemonstretur indicant):

ire (6), *exire* (23), *prodire* (2), *redire* (2). *venire* (6), *advenire* (8), *convenire* (1), *revenire* (0), *provenire* (0). *progredi* (7), *egredi* (19), *ingredi* (1). *cedere* (0), *incedere* (24), *procedere* (0), *accedere* (2).

Motum in scaena ipsa indicant:

ire, abire, redire, adire, transire (ex altera domo ad alteram). *venire, intervenire. adgredi, congredi, regredi. cedere, incedere, procedere, abscedere, accedere, concedere, secedere, recedere, occedere, excedere.*

Abitus a scaena indicatur verbis:

ire, abire, prodire, redire, introire. abscedere, concedere.

Ex hac enumeratione apparet personas quae praemonstrantur illis verbis de quibus agimus in maiore parte exemplorum e d o m o in scaenam exire.

Magnam copiam verborum suppetere videmus quibus motus ab altera parte scaenae ad alteram partem euntium indicatur. Quem imprimis verbum cedendi eiusque composita indicant. Verbum veniendi eiusque composita raro ita usurpari nemo mirabitur. — De differentia quam inter haec verba valere observatur suo loco egi.

At satis pauca verba poeta ad abitum a scaena indicandum adhibuit, qui motus semper fere verbis *ire* et *abire* significatur.

Quod ad ea verba attinet quae p e r s e egressum e domo in scaenam indicant (de *ire foras* non ago) scilicet *exire, prodire, provenire, progredi, egredi, procedere,* ea composita quae per praepositionem *ex—, e—* composita sunt ad domum unde persona exit magis spectant, cum praepositio *pro—* ad scaenam magis spectet. Ceterum unde personae exeant, utrum e domo an ex ἐξώστρα quae dicitur (cf. Bethe, Prolegomena pag. 311) ex verbis effici non potest. Nisi quod sane verba illa differunt pro modo atque celeritate exeundi.

Index rerum.

Index locorum nonnullorum de quibus iudicium tuli.

Corrigenda. pag. 13 lege Poen. 205 pro Poen. 203.
„ 16 „ Pseud. 1328 pro Pseud. 1387.

Vita.

Natus sum Eduardus Feyerabend Hersfeldensis Borussus a. d. XV. Kal. Sept. a. 1884 in vico Hassiaco qui appellatur Jestädt, patre Gustavo matre Lina e gente Sangmeister, qui quod adhuc vivunt valde gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum elementis a patre eruditus inde ab ineunte anno 1897 gymnasium Hersfeldense frequentavi, quod testimonio maturitatis praeditus vere a. 1903 reliqui. Primum Marpurgum me contuli, ubi studiosis litterarum antiquarum atque historiae adscriptus sum. Postquam tria semestria Marpurgi versatus sum ad universitatem Monacensem migravi, ubi per duo semestria philologiae atque historiae operam dedi. Denique ad studia perficienda Marpurgum reverti. Per semestre aestivum a. 1909 Hersfeldiae, in urbe patria, ad examen rigorosum me paravi, quod superavi a. d. V. Kal. Aug. a. 1909. Ab illo tempore partim Hersfeldiae partim Marpurgi versatus sum.

Proseminario philologo per tria, seminario per duo semestria interfui. Ad exercitationes historicas me admiserunt Klebs, Niese, Wenck.

Docuerunt me viri docti Marpurgenses: Birt, Cohen, Glagau, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Natorp, Niese, v. d. Ropp, v. Sybel, Thiele, Thumb, Varrentrapp, Wenck; Monacenses: Crusius, Furtwängler, Krumbacher, Lipps, Pöhlmann.

Quibus omnibus gratias ago magnas, maximas autem Theodoro Birt, qui ad hoc opusculum scribendum me invitavit atque ad opus conficiendum consilio suo adiuvit.